




600018363R











DE
REBUS GRAECORUM
INDE AB ACHAICI FOEDERIS INTERITU USQUE AD ANTONINORUM AETATEM.

DISSERTATIO

QUAM SCRIPSIT

GUSTAVUS FRIDERICUS HERTZBERG

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

HALIS,

C. E. M. PFEFFER.

MDCCCLI.

INDEX.

PROOEMIUM.

„Manebant etiam tum vestigia morientis libertatis." (Tacitus.)

Res Graecorum, quales sub imperio Romanorum, inde ab eversa Corintho usque ad regnum ab Theodosio divisum, (ab anno **146** a. Chr. — **395** p. Chr.), fuerunt, quamvis maximam partem tenebris occultatae et circumfusae lateant, tamen ab historici officio non alienum esse puto, quae illis temporibus Graeci aut gesserint aut perpessi sint accurate exquirere. Quum enim longe suavissimum ac gratissimum sit, liberi atque integris viribus pollentis populi fortunam demonstrare et ostendere florentissimam, eorum operam, qui ad res civitatum fractarum et afflictarum indagandas et perquirendas incumbunt, non esse minoris aestimandam censuerim. Quod ut ad omnes omnino gentes, quaecunque ullo tempore vi et auctoritate valuerunt, ita maxime ad Graecos pertinet: qui quibus fatis etiam posteriore tempore usi sint, ut cognoscere studeamus, cum eius, qua, dum liberi essent ac summa potentia inter omnes Europae Asiaeque populos florerent, excellebant gloriae magnitudine, tum maxime eo induci-

mur, quod hac ipsa aetate, quam describendam mihi proposui, Graecorum consuetudo et mores paullatim commutati atque ad eam conditionem delati sunt, ex qua et media aetate et recentioribus temporibus rerum Graecarum rationem omnino pendere videmus.

Quae cum ita sint, spero, fore, ne vos, viri humanissimi, aegre feratis, quod ego, qui omnibus et Germaniae et Britanniae viris doctissimis, quicunque gravissimis illis rebus operam dederunt, et facultate cedam et doctrina, opus plenum aleae aggressus sim. Atque id potissimum egi, ut quaecunque de historia Graecorum civili *inde ab interitu foederis Achaici usque ad Marcum Aurelium imperatorem* in libris veterum scriptorum passim dispersa sint, non solum breviter componerem, sed etiam quoad eius fieri posset, perpetua oratione illustrarem. Negari quidem non potest, hanc descriptionem non tam „rerum Graecarum historiam" appellandam esse, quam enarrationem bonorum et malorum, quae Graecis evenerint. Neque enim universi Graeci, nec singulae civitates his temporibus unquam res gesserunt, quae maiorum praeclare factis ullo modo comparari possent, atque in ea, qua nonnunquam haec vel illa gens excelluit fortitudine, nihil nisi morientis libertatis et pristinae praestantiae vestigia licet indagare.

Quum igitur Graeci ea conditione, quae scriptores ad res patriae describendas impelleret, tum non fruerentur, ea plerumque respicienda sunt, quae scriptores Romani et Graeci aut aequales aut posteriorum temporum de rebus Graecorum magis magisque labefactatis occasione data exhibent *). At vero quum ex his scriptoribus

*) Scriptorum et antiquorum et nostrae aetatis, quorum libris in hoc libello conscribendo usus sum, sicuti res ipsa cogit, magnus est nu-

pauca tantum ad res Graecas accuratius perspiciendas redundent, vel diligentissima cura et studio tantum abest, ut *universae* Graeciae status civilis, qualis per annos illos trecentos viginti sex fuerit, clare perspiciatur, ut saepius in graviorum modo civitatum rebus aliqua ex parte exponendis sit acquiescendum.

Itaque vix a me impetravi, quin aut de singularum civitatum institutis, legibus et magistratibus subtiliter dissererem, quum aliquo temporis spatio scriptores de rebus gestis nihil traderent, aut quaestionibus de statu artium litterarumque Graecarum, inprimis Atticarum, addendis narrationes scriptorum saepissime ieiunas tristesque vividis coloribus, ne dicam fallaci splendore exornarem. Neque tamen obsecutus sum animo, veritus, ne

---

merus. Ut primum de veteribus dicam, praeter Pausaniae descriptionem Graeciae (ed. Siebelis.) et Strabonis rerum geographicarum libb. XVII. (ed. Siebenkees. et Tzschucke.), — qui passim de rebus Graecorum hoc aevo gestis disserunt, — Polybii historiae (ed. Schweighaeuser.), Appiani historia Mithridatica, et de bellis civilibus libb. V. (ed. Schweigh.), Dionis Cassii historia Romana (ed. Reimarus), Plutarchi vitar. parallelar. Voll. IX. (ed. Schäfer.) et Moral. Voll. II. (Moral. Vol. I. et II. sive Plutarch. opp. omn. Vol. III. et IV. ed. Fr. Duebner. Paris, Didot.), Ciceronis orationes, epistolae et libri philosophici, Caesaris de bello civili libb. III., Taciti (ed. J. Bekker.), Suetonii (ed. F. A. Wolff.) et Josephi opera (Voll. II. ed. Havercamp.), Philostrati vitae Apollon. Tyan. libb. VIII. (edd. Morell. et Olear.) et vitae sophistarum (ed. Kayser.), Dionis Chrysostomi orationes (opp. ed. Morell.), Plinii naturalis historia (ed. Franzius.), et epistolae (ed. Bipontin.) et Athenaei deipnosophist. libb. XV. (ed. Schweighaeuser.), largam rerum copiam mihi praebuerunt. Accedit quod etiam Livii, Velleii Paterculi, Flori, Cornelii Nepotis, Scriptorum historiae Augustae, Sexti Rufi, Eutropii, Luciani et Aelii Aristidis libri multa exhibent, quae ad res Graecas huius aetatis pertinent.

Deinde operum, quae nostrae aetatis scriptores confecerunt, praeter clarissimum Boeckhii Corpus Inscriptionum Graecarum, et Eckheli Doctrinam Numorum, his potissimum usus sum:

eiusmodi quaestiones, quae magis rem antiquariam spectarent, quam historiam, modum terminosque exigui huius libelli longe egrederentur. Huc accedit, quod consilium cepi, si postero tempore in litteris historicis subtilius versatus et acrius iudicium consecutus sim, res Graecorum inde a Corintho eversa ad nostram usque aetatem maiore in libro pluribus enarrare. Ac pariter primordia rerum Christianarum in Graecia breviter tantum commemoravi; quae praeterquam quod magna ex parte a scriptoribus dubiae fidei traditae sunt, cum temporum ordine vix possunt conciliari.

In commentatione autem disponenda et componenda ipsam rerum Graecarum rationem et naturam, qualis qui-

---

C. F. Hermann, Lehrbuch der griechischen Staatsalterthümer. 3te Auflage.
J. W. Zinkeisen, Geschichte Griechenlands. Tom. I. pag. 490—574.
Fallmerayer, Geschichte der Halbinsel Morea. Tom. I.
Hoeck, Römische Geschichte. Tom. I. P. 1. 2. 3.
Clinton, Fasti Romani.
Corsini, Fasti Attici.
Fischer und Soetbeer, Römisch-Griechische Zeittafeln.
C. Peter, Römische Zeittafeln.
Hopfensack, Staatsrecht der römischen Unterthanen.
Roth, de re municipali Romanorum.
E. Kuhn, Beiträge zur Verfassung des römischen Reiches.
Nitzsch, die Gracchen.
Nitzsch, Polybius.
Helwing, Geschichte des achäischen Bundes.
Merleker, Achaicorum libb. III.
Tittmann, Bund der Amphictyonen.
Leake's Topographie von Athen, übers. von Rienäcker, mit Zusätzen v. Meier und Müller.
Ahrens, de Athenarum statu politico sqq.
Ellissen, zur Geschichte Athens nach dem Verluste seiner Selbständigkeit. Abhandl. I.
Praeterea multos et veterum et recentiorum libros perscrutatus sum, quos cum enumerare longum sit, suo loco commemorabo.

dem hac aetate fuit, secutus sum. Quamobrem non potui, quin rerum Atheniensium, quae etiam tum gravioris essent momenti, praecipuam rationem haberem, et quaecunque de ceteris civitatibus tradita sunt, enarrandis Athenarum fatis apto aliquo loco adderem. Athenae enim vel hoc ipso tempore et auctoritate civitatis et litterarum gloria tanquam arx et caput totius Graeciae fuerunt.

Pariter quod Antoninorum aetatem non egressus sum, id non temere feci, sed ea causa inductus, quod quum universi Romanorum imperii res inde a Marco Aurelio mortuo magis magisque corruptae et depravatae, tum maxime res Graecae in perniciem praecipitatae sunt, ex quo imperatores non amplius beneficiis suis labantem rempublicam sustinuerunt ac pristini splendoris speciem quandam fallacem servarunt.

Atque ipsum argumentum duas in partes dividitur: quarum priore res Graecorum inde a foederis Achaici interitu usque ad Augusti principatum, altera quae exinde usque ad Marcum Aurelium imperatorem gesta sunt, comprehenduntur. Quum enim liberae reipublicae Romanae aetate etiam Graeci speciem quandam eius conditionis, quam autonomiam appellant, servassent, tandem quo tempore Augustus rerum Romanarum potitus est, Graecia, — praeter Athenas paucasque alias civitates, — in provinciae formam redacta et inde proximis duobus imperatorum aetatis saeculis eodem fere modo, quo aliae imperii Romani provinciae, administrata est: nisi quod eximiam ob gratiam, qua imperatorum plurimi artium litterarumque patriae favebant, Graeci conditione aequiore quam alii provinciales usi sunt.

Ut vero opus susceptum apte absolverem et concluderem, res inde ab anno **146** a. Chr. — **180** p. Chr. in

Graecia gestas in „Fastis Achaicis" ad annorum ordinem componere conatus sum. Addita sunt et archontum eponymorum Atheniensium et proconsulum Romanorum, inde ab anno 27 a. Chr. in Achaiam missorum, nomina, quae quidem et in libris scriptorum et in inscriptionibus a Boeckhio collectis passim dispersa inveni. Quibus in proferendis librorum locos vel numerum inscriptionum non attuli, nisi archontum vel proconsulum in ipso libello nulla mentio facta erat.

PARS PRIOR.

AB INTERITU FOEDERIS ACHAICI USQUE AD AUGUSTI PRINCIPATUM. A. a. Chr. 146—27.

CAPUT I.

A. a. Chr. 146—133.

§. 1.

Foedus Achaeorum, qui soli inter omnes Graecos etiam Perseo a Romanis devicto libertatem suam retinere et in rebus publicis ad suum arbitrium agere studebant, et fraudibus Callicratis, qui effecerat, ut mille optimorum virorum iussu Romanorum in Italiam abducerentur, (*a.* 167 *a. Chr.*), et Romanorum iniuriis in dies auctis in maximum periculum et extremum paene discrimen adductum est. Quum enim potentes optimates, omni modo a senatu Romano adiuti, non solum simili ratione, qua tum Romani nobiles in Sicilia Italiaque, maximam partem agrorum obtinerent, sed etiam in republica administranda Romanorum tantum commodis servirent, non mirum fuit, quod multitudo, opera Philopoemenis eiusque amicorum popularis imperii studio incensa, inopia vero et oneribus oppressa, partes eorum, qui Romanorum nomini et imperio inimici atque infesti erant, acerrime secuta est. Quorum vires quum reditu trecentorum, — qui mille illorum hominum in Italiam deductorum superstites erant, — tandem a senatu Romano concesso, vehementer auctae essent, (*a.* 150 *a. Chr.*), seditionem ab Andrisco in Macedonia motam mox bellum illud secutum est, quo Achaei,

summa affecti desperatione, et optimatium suorum potentiam frangere, et Romanorum iugum a cervicibus suis depellere conati sunt. Quod bellum, quia Graeci et viribus inferiores erant, et Critolao atque Diaeo, vehementissimo quidem Romanorum odio incensis, sed ignavis et rei militaris ignaris atque expertibus, ducibus utebantur, tantum abfuit, ut felicem eventum haberet, ut proeliis ad Scarpheam et ad Leucopetram in Isthmo commissis Achaeorum respublica prorsus frangeretur. Quae hanc Achaeorum cladem secuta sint, omnibus est notum: L. Mummius enim consul eodem fere tempore, quo Carthago a P. Cornelio Scipione Aemiliano deleta est, — Antitheo summum magistratum Athenis gerente[1]) — (146 *a. Chr.*) Corinthum urbem cepit, captam militibus diripiendam commisit et quod paullo ante hac in urbe laesis Romanorum legatis ius gentium violatum erat, ex senatusconsulto incendio delevit; puberes quidem reliqui a Romanis omnes ad unum interemti sunt, mulieres puerique et ex servis, quos Diaeus armaverat, quotquot superstites proelio erant, sub corona veniere. Sic Graecorum libertate oppressa Romani etiam Peloponnesum dominatu suo tenuerunt.

§. 2.

Mox postquam Mummius alias quoque Graecorum civitates, quae manum contra Romanos miserant, moenibus deiectis armisque civibus ademtis, supplicio affecit[2]), more maiorum decem legati a senatu Romano missi in castra Mummii convenere, quorum consilio in Graeciae rebus ordinandis uteretur; in quibus A. Postumius et C. Sempronius Tuditanus fuerunt. Quorum adventu popularis rerum publicarum status ubique per Graeciam sublatus, civitates magistratibus ex censu constitutis administrandae commissae, libertas tamen et propriae leges urbibus relictae sunt. Deinde vectigalia omnibus Graecis imposita, et opulentis civibus in-

---

1) **Pausan.** VII. 16, 7.

2) **Pausan.** II. 1, 2. VII. 16, 5. In Thebas potissimum et Chalcidem urbes Romani crudeliter saeviisse videntur; **Liv.** epit. l. LII. ita Chalcidensium equitum multi occisi sunt. **Polyb.** XL. 11.

terdictum est, ne posthac, id quod antea consueverant, extra fines urbium suarum agros possiderent. Denique foedus Achaicum sublatum, nec minus concilia aliarum gentium, Phocensium, Boeotorum, itidemque per universam Graeciam pariter omnia abolita sunt. Praeterea Mummius, ut peculiari poena eos affligeret, Boeotos Euboeensesque Heracleotis, quos, quod rebus Romanorum faverent, una cum Achaeis Critolao duce 147 *a. Chr.* vexassent, centum talenta, — Achaeos Lacedaemoniis ducenta pendere iussit, quia illi paullo ante bellum Corinthium huic populo, inde a Nabidis tempore Romanis amicissimo, Diaeo et Damocrito praetoribus bis bellum intulerant[3]).

Deinde si respicis, quemadmodum viginti annis ante, Perseo superato, praedia regum Macedoniae, et Carthagine deleta huius urbis agri dominium populi Romani facti sunt, ita Achaia quoque subiecta agrum Corinthium publicatum, — (cuius maximam partem mox Sicyonii obtinuerunt[4]), — et simili modo, quo Libycae urbes Romanorum studiosae, agrorum Carthaginiensium parte donatae sunt, Lacedaemonios prae ceteris Graecis singulari honore habitos esse[5]): clare apparet, Romanos etiam in Graecia tractanda certam suam et stabilem rationem secutos esse, qua in terris modo occupatis et paullatim in provinciae formam redigendis id egerunt, ut loca situ et auctoritate gravissima obtinerent et certam factionem sibi compararent. Quamdiu enim Corinthus deserta iacebat, Isthmus munimentis carebat, aditus montium Laconicorum Romanis patebat, omnino non timendum erat, ne Peloponnesii unquam prospero eventu rebellarent. Nec minus eo consilio et timocratias, ut ita dicam, instituerunt, et, ne quis extra urbis suae fines agrum haberet vetuerunt, ut non solum, oppressis popularis imperii studiosis, quos Romanis infestissimos esse iam Callicrates senatum docuerat, optimatium in civitatibus potentia augeretur, sed etiam, quo-

---

3) Pausan. VII. 16. 6. 7. Liv. epit. l. LII. Polyb. XL. 9—11.; cf. Merleker. pag. 452—459; die Erkl. zu Cic. ad Att. XIII. 4. 6. Boeckh. ad C. I. vol. I. nr. 1543. pag. 713.
4) Strabon. VIII. 6, 23. (p. 381).
5) De his rebus infra agitur.

minus illi latifundiis suis amplius prolatis saluti publicae detrimentum afferrent, impediretur.

Tributum autem Graecis iniunctum vectigal fuisse videtur, agrorum possessoribus impositum, quum certa pecuniae summa in perpetuum constitueretur, quam ut commodius solverent, singulae civitates eadem fere ratione qua Hispanae inter se dispertitae sunt. Quod stipendium, quum illius simillimum esset, quod Macedonia iam priusquam in provinciae formam esset redacta, aerario Romano pependerat, publicanis Romanis non locatum est [6]. Nihilominus vero Achaici foederis ruina huic ordini summae utilitati fuit: ut enim quaestum omittam, quem publicani 146 *a. Chr.*, quo anno magistratus Romani amplius centum millia captorum Corinthiorum et Carthaginiensium ad mercatum detulerunt, e servis sub corona vendendis fecerunt, non solum facultas iis data est, agrum publicum Corinthium commercii negotiis opportunissimum occupandi, sed etiam Carthagine et Corintho, urbibus emporio florentissimis, deletis ii mercatores e medio sublati sunt, qui soli in occidentali orbis terrarum parte commercio cum Romanis fortiter certaverant.

§. 3.

Ipsi autem Achaei tum nihil felicius sibi accidere potuisse agnoverunt, quam quod accidit, ut, quam celerrime ac sine ullo negotio a Mummio consule devicti, neque Romanis causam in Graecos saeviendi darent, neque ipsorum duces crudelissimi in populares suos, Romanorum causae addictos, impietatis suae specimina edendi haberent facultatem. Tunc enim vetus illud dictum in omnium ore versabatur: „nisi celeriter periissemus, nunquam salvi fuissemus!" [7]

L. Mummius consul etiam anno 145 *a. Chr.* in Graecia remansit, ut praesens status coalesceret, neve forte motibus Orientis pax Graeciae et Macedoniae recens stabilita

6) De his rebus ad vectigalia pertinentibus cf. Nitzsch, d. Gracchen p. 252.

7) Polyb. XL. 5. „—*ἅπαντες δὲ τότε τὴν παροιμίαν ταύτην διὰ στόματος εἶχον, ὡς Εἰ μὴ ταχέως ἀπωλόμεθα, οὐκ ἂν ἐσώθημεν.*" cf. Plut. Themist. c. 29. „*ἀπωλόμεθ' ἄν, εἰ μὴ ἀπωλόμεθα.*"

sollicitaretur. Quo tempore et Neptuni templum, quod in Isthmo fuit, cum luco et stadio, in quo Isthmia olim Corinthii agebant[8a]), bello vastatum, instauravit, Delphici Apollinis fanum exornavit, atque adeo primus Romanorum Olympiae Iovem aeneum itemque clypeos inauratos unum et viginti de manubiis Achaeorum dedicavit. Qui quum postea singulas civitates circumiret, ubique privatim et publice summis honoribus exceptus est, quoniam et abstinentia stoica, et humanitate ac mansuetudine, qua in omnibus rebus usus est, ubi ad suum tantum arbitrium agere sibi licuit, miserorum Graecorum maximam admirationem et amorem sibi conciliaverat[8b]). Quum tandem in Italiam decederet, manus in Achaia relicta est, Q. Fabio Maximo proconsule duce, qua tumultus, qualem Sosus quidam cum nonnullis Achaeorum jugum Romanum aegre ferentibus tum Dymae excitavisse videtur, in ipso ortu opprimerentur[8c]).

Contra decem legati, rebus Graecorum intra semestre spatium constitutis, iam vere anni **145** *a. Chr.* ineunte in Italiam redierant, quum, Polybio teste, pulcherrimum virtutis morumque populi Romani exemplum Graecis omnibus reliquissent[9]). Maximo autem beneficio infelicem populum eo affecerant, quod in rebus Achaiae ordinandis Polybio auctore et actore usi erant.

Polybius enim, rerum civilium inter omnes suae aetatis Graecos longe peritissimus, quum, Philopoemenis et Lycortae patris exemplo, Achaeorum partibus popularis imperii studiosis praefuisset, Callicratis fraudibus simul cum gravissimis factionis suae sociis (**167** *a. Chr.*) Romanis proditus est. Qui cum Romam abductus viginti fere annos in domo Aemilii Pauli, clarissimi ducis, versatus esset, cum Scipione Aemiliano, illius filio, arctissima necessitudine coniunctus, summa apud Romanos auctoritate valuit. Postquam vero in castris Scipionis, tum Carthaginem urbem oppugnantis, Corinthi ever-

---

8a) Strabon. VIII. 6, 22.; (p. 380.)

8b) Polyb. l. c. 11.; Liv. epit. l. LII.; Diodor. Exc. Vatic. II. 95. coll.; Cic. in Verr. II. 1, 21.

8c) Boeckh. C. I. vol. I. pag. 713. nr. 1543.

9) Polyb. l. c. 10.

sae nuncium accepit, sive Scipione vel decem legatis iubentibus, sive, quod multo verisimilius mihi videtur esse, caritate patriae et studio inductus, extremam perniciem a Graecis amoliendi, advolavit, ut patriae ruenti, cuius rerum spectator tantum invitus per tot annos fuerat, iam senex auxilium quantumcunque afferret et maiorem calamitatem ab ea averteret. — Ac revera viri generosi virtus atque auctoritas Graeciae eo tempore multum profuit. Qui non solum gratia, qua apud consulem legatosque floruit, effecit, ut statuae Achaei, Arati et Philopoemenis, quae iam ex Peloponneso in Acarnaniam transportatae erant, non in Italiam traducerentur, sed Achaeis redderentur, atque Philopoemenis honores, qui per Achaiae civitates summo viro constituti fuerant, illibati manerent [10]), verum etiam rebus Achaeorum componendis et ordinandis patriae calamitatem quam maxime sublevavit. Nam ex mandato legatorum, quum in Italiam decessissent (145 *a. Chr.*), singulas urbes Achaicas obiit, earum controversias diiudicavit, legesque ac formulas iuris dicundi secundum legatorum praecepta civitatibus scripsit: atque omnino, ut paucis comprehendam, ea quae nova Graecorum sub imperio Romanorum conditio posceret, cum institutis illorum, libertatis tempore ortis, quam posset conciliare studuit. Itaque profecto auctoritate sua apud populares adiutus brevi perfecit, ut statu praesenti non acquiescerent modo Graeci, verum etiam laetarentur [11]). Quum enim ubique res componeret et ordinaret, id potissimum cives docuit, praescripto rerum statu pacem otiumque recuperari, et in posterum sperare, divitum latifundiis multitudinis inopiam non amplius auctum iri. Deinde quum universis Achaeis easdem leges iurisque rationes conderet, et alio quoque modo communi populi saluti prospiceret, sane effecit, ut Achaei, quamvis foedere sublato, tamen pristina consuetudine, qua civitates inter se iunctae fuerant, non plane privarentur.

---

10) Polyb. XL. 8. Polybium in vendendis Diaei aliorumque damnatorum bonis summa abstinentia excelluisse, eodem huius libri loco narratur; cf. Plut. Philop. c. 21; praec. reipubl. ger. 18. Moral. Vol. II. p. 814 d.

11) Polyb. XL. 10. cf. Pausan. VIII. 30, 4.

Itaque, postquam sic patriae suae omni modo consuluit, — (quod quidem omnium rerum a se gestarum longe plurimi habendum esse ipse contendit,) — Achaei quibus persuasum erat, „Graeciam si prius Polybii consiliis paruisset, nunquam offensuram fuisse, et post offensam illum, Romanorum in Graecos ira mitiganda, unum afflictae levamen exstitisse," omnibus eximiis honoribus et vivum et mortuum eum per singulas urbes colere certatim instituerunt atque adeo statuas ei posuerunt. Quarum Pausanias alteram in foro Megalopolis urbis, alteram in Despoenae sive Proserpinae templo collocatam vidit[12]).

Neque minus Polybium postea, iterum Romae versatum, Graecorum commodo serviisse probabile est: qua in re a Scipione Aemiliano eiusque amicis, qui, Corneliae et Aemiliae gentis rationem politicam sequuti, id potissimum agerent, ut Romani non tam quam plurimas provincias occuparent, quam Graeciae et Asiae civitatibus, specie quadam libertatis iis relicta, modo imperarent, fortiter adiutus esse videtur. Illud certe constat, iam paucis annis post Corinthum deletam, — ut accurato temporum ordine neglecto Pausanias exhibet, — severiora senatus Romani de Graecorum conditione decreta sublata esse. Multae igitur, quas singulis civitatibus Mummius irrogaverat, remissae, prisca cuique genti concilia, — maxime Achaeorum, Boeotorum et Phocensium, — restituta sunt[13a]), quin etiam, quamquam id ipsum Achaiae non fuit

---

12) Polyb. l. c. 8. 10. Pausan. VIII. 30, 4. 37, 1.

13a) Quo factum est, ut posterioribus quoque temporibus foedera Achaeorum (Pausan. V. 12, 4. VII. 24, 3. Boeckh. C. I. vol. 1. nr. 1318. 1396. 1625. 1718. Keil, syll. inscr. Boeot. nr. 31.), cum στρατηγοῖς, praetoribus (C. I. nr. 1124.); Boeotorum (Pausan. IX. 34, 1. X. 8, 3. Keil, l. l. nr. 31. 51. 70. 74. 95.), cum Boeotarchis (Plut. reip. ger. praec. c. 17. Moral. Vol. II. p. 813 e. Boeckh. C. I. v. 1. p. 726 sqq.); Phocensium (Paus. X. 5, 1. Ross. inscr. ined. fasc. I. nr. 85. Keil. syll. inscr. Boeot. nr. 26. 31.), cum Phocarchis, (Boeckh. C. I. nr. 1738.), et praetoribus (cf. Ulrichs, Inschr. v. Tithora; Rhein. Museum f. Philol. II. 554. 555.); Locrorum, Euboeensium (Keil. l. l. nr. 31.); Aetolorum (Paus. X. 38, 2.); Thessalorum cum praetoribus (cf. Niebuhr, kl. histor. Schriften I.

atque adeo agri pro dominio populi Romani habiti sunt. Sed prioribus reipublicae temporibus tantum abfuit, ut Romani in populos iusto bello superatos tam graviter consulerent, ut saepissime agris praesidiisque occupatis vel alio modo eos impedire satis haberent, ne amplius reipublicae nocere possent. Quamobrem ad id usque tempus, quo singulorum civium effrenata pecuniae et dominandi cupiditas Romanos a salubri ac recta rerum publicarum administratione abalienavit, eae solum terrae provinciae factae sunt, quae aut iam antea ab aliis populis libertate privatae, tanquam in praedam Romanis cesserunt, ut Sicilia, Sardinia, Hispania, Gallia Cisalpina, aut iterata rebellione summas poenas merito luere visae sunt, ut Carthago et Macedonia: quarum haec ne regno quidem abolito (168 *a. Chr.*), sed Andrisci demum seditione oppressa (149—147 *a. Chr.*), in formam provinciae redacta est.

Quodsi igitur reputamus, illo tempore neque Romanis ullam attulisse utilitatem, si onera reipublicae novis provinciis administrandis augerent, neque Achaeos, qui tum primum cum populo Romano bellum gesserant, in numero earum nationum, de quibus modo diximus, haberi potuisse, — etiamsi contrariam opinionem pravam esse, firmis argumentis non demonstraretur, tamen pro certo habuerim, Graecos foederis Achaici clade in peiorem conditionem, quam qua annis 168—147 *a. Chr.* Macedones uterentur, non esse detrusos. Quanquam plerique ex iis, qua erant consilii pravitate, in bellis Romanorum civilibus semper eorum causam secuti, qui postea superati sunt, victoribus ansam dederunt ad speciem quoque libertatis Graecis relictae magis magisque imminuendam, et Graeciam tandem in formam provinciae redigendam. Sed antea Graecos alia conditione usos esse, quam quae Macedoniae 167 *a. Chr.* praescripta est, certis testimoniis vix possit probari.

Immo nonnulla eorum, quae Mummium legatosque Graecis praecepisse Pausanias refert, iis quae Livio teste [22]) Macedonibus devictis constituta sunt, fere congruunt: quibus „neque connubium, neque commercium agrorum aedificiorum-

22) Liv. lib. 45, 18. 29. 32.

elocutione usus sit, — „Armenia minor, quam idem tenuerat, armis obtenta est"[18]), — etsi Armeniam usque ad Neronem imperatorem ex arbitrio Romanorum quidem pependisse, sed a regibus suis administratam esse, inter omnes constat, — Graeciam profecto a Romanis subactam esse declarat, contra in formam provinciae tum eam redactam esse, ex illo loco plane non apparet.

Deinde **Strabo**, cuius testimonio pariter utitur Sigonius[19]), postquam de Corintho eversa narravit, nil nisi haec fere addit: „et reliqua usque ad Macedoniam in potestatem Romanorum venerunt, aliis in alias partes missis ducibus;" unde certi quid deduci sane non potest.

Denique tantum abest, ut quae exhibet **Pausanias**, Sigonii opinionem, quam iis potissimum niti videmus, confirment, ut eadem si accuratius perspexeris, illam refellere videantur. Nam quum Pausanias verbis iam supra a me allatis haec fere addiderit[20]): „— Mittitur etiamnunc ad Graeciam administrandam ex Urbe praetor, quem *Achaiae*, non Graeciae appellant Romani, quod scilicet Graeci subacti sunt principatum obtinentibus Achaeis;" inde probatur quidem, Graeciae aetate Pausaniae nomen Achaiae eamque iam diu imperii Romani provinciam, atque etiam inde ab interitu Corinthi prorsus in potestate Romanorum fuisse: sed hoc omnino nemo negaverit. Neque vero hic neque alio loco, ubi bello confecto Graecis arma erepta, munitarum urbium muros deiectos esse tradit[21]), Graeciam iam a Mummio legatisque ad formulam provinciae constitutam esse, Pausanias narrat. Quare etiamsi Graecorum libertatem Romani arctissimis finibus circumscriberent, tamen longe aberat, ut provincialium modo iam tum eos tractarent.

Quamvis enim nonnullae provinciae formula sua conditionem non plane iniquam assecutae et legibus Romanis a gravioribus rectorum iniuriis defensae sint, tamen ut suis legibus iuribusque uterentur, non amplius concessum est,

---

18) **Ruf.** c. III.
19) **Strabon.** VIII. 6. 23. (p. 381).
20) **Pausan.** VII. 16, 6. 7.
21) **Pausan.** II. 1, 2.

atque adeo agri pro dominio populi Romani habiti sunt. Sed prioribus reipublicae temporibus tantum abfuit, ut Romani in populos iusto bello superatos tam graviter consulerent, ut saepissime agris praesidiisque occupatis vel alio modo eos impedire satis haberent, ne amplius reipublicae nocere possent. Quamobrem ad id usque tempus, quo singulorum civium effrenata pecuniae et dominandi cupiditas Romanos a salubri ac recta rerum publicarum administratione abalienavit, eae solum terrae provinciae factae sunt, quae aut iam antea ab aliis populis libertate privatae, tanquam in praedam Romanis cesserunt, ut Sicilia, Sardinia, Hispania, Gallia Cisalpina, aut iterata rebellione summas poenas merito luere visae sunt, ut Carthago et Macedonia: quarum haec ne regno quidem abolito (168 *a. Chr.*), sed Andrisci demum seditione oppressa (149—147 *a. Chr.*), in formam provinciae redacta est.

Quodsi igitur reputamus, illo tempore neque Romanis ullam attulisse utilitatem, si onera reipublicae novis provinciis administrandis augerent, neque Achaeos, qui tum primum cum populo Romano bellum gesserant, in numero earum nationum, de quibus modo diximus, haberi potuisse, — etiamsi contrariam opinionem pravam esse, firmis argumentis non demonstraretur, tamen pro certo habuerim, Graecos foederis Achaici clade in peiorem conditionem, quam qua annis 168—147 *a. Chr.* Macedones uterentur, non esse detrusos. Quanquam plerique ex iis, qua erant consilii pravitate, in bellis Romanorum civilibus semper eorum causam secuti, qui postea superati sunt, victoribus ansam dederunt ad speciem quoque libertatis Graecis relictae magis magisque imminuendam, et Graeciam tandem in formam provinciae redigendam. Sed antea Graecos alia conditione usos esse, quam quae Macedoniae 167 *a. Chr.* praescripta est, certis testimoniis vix possit probari.

Immo nonnulla eorum, quae Mummium legatosque Graecis praecepisse Pausanias refert, iis quae Livio teste [22]) Macedonibus devictis constituta sunt, fere congruunt: quibus „neque connubium, neque commercium agrorum aedificiorum-

22) Liv. lib. 45, 18. 29. 32.

que inter se cuiquam extra fines regionis suae esse" praescriptum est. Quodsi Macedoniae, quamvis ad leges durissimas constituta, in quattuor civitates descripta atque adeo Romanis stipendium pendere coacta esset, nihilosecius per viginti annos libertatis et autonomiae, ut ita dicam, nomen relictum est, — ex iis quoque legibus, quas Achaiae ab Romanis datas esse Pausanias tradit, nihil colligi potest, nisi eandem rationem inter Graecos et Romanos intercessisse, qua „liberas et foederatas sociasve civitates" cum his coniunctas et ab iis tractatas fuisse certo scimus. Ita ipsae Athenae, quas nunquam cuiquam provinciae adscriptas esse inter omnes constat, posterioribus temporibus sub ius et iurisdictionem vicinorum proconsulum aliqua ex parte subiunctae erant. Accedit quod Plutarchus, ubi Macedoniae rectorem Luculli tempore litem quandam inter duas Boeotiae civitates exortam diiudicasse narrat, „Graeciam tum praetori Romano nondum commissam fuisse" refert [23]).

Cuius quidem testimonium, quo Graeciam tempore adhuc Ciceronis vel Pompeii in provinciarum Romanarum numero nondum relatam esse clare probatur, vagis Strabonis et Pausaniae dictis, quae supra attuli, dilui nequit. Plutarchum vero de patriae suae rebus falsa prodidisse, ut crederemus, commoveri tantum possemus, si aut nomina proconsulum Romanorum afferrentur, qui Graeciam iam ante bella civilia administrassent, aut talia traderentur, quae ad provinciam modo, neque omnino ad terras, Romanis quodam clientelae genere coniunctas — (quod nos dicimus „Vasallenland") — referenda essent. Sed tantum abest, ut eiusmodi res commemorentur, ut quam rationem inter Graecos et Romanos fuisse apparet, ea ad rem provincialem omnino non pertineat.

Graeciam 146 *a. Chr.* provinciam factam esse, ex eo quod decem legati simul cum Mummio res Achaiae constituerint, colligi non posse perspicuum est, quum Romani fere eodem modo *a.* 189 *a. Chr.* Asiae res ordinandas curaverint. „— Decem enim legatos more maiorum ad res Asiae disceptandas componendasque missos esse" Livius

---

23) Plut. Cimon. c. 2. „— *οὔπω γὰρ εἰς τὴν Ἑλλάδα Ῥωμαῖοι στρατηγοὺς διεπέμποντο.*" cf. Plut. Caesar. c. 4.

narrat [24a]): qua occasione oblata omnes Asiae minoris et urbes et terras, quas Romani bello cum Antiocho Magno gesto occupaverant, Eumeni Rhodiisque permissas, neque tamen Asiam minorem in provinciae formam redactam esse, inter omnes constat. Ac similiter de consilio illo statuendum esse videtur, de cuius sententia Aemilius Paulus Macedonum rempublicam institutis illis legibusque temperavit, quae supra commemoravimus.

Porro ut de proconsulibus dicam, Pighius quidem [24b]), quum iam more tralaticio Achaiam in numero provinciarum Romanarum haberet, Achaiae proconsules vel praetores nominatim afferre conatus, quinque virorum nomina protulit, quos centum fere annorum spatio inde a foederis Achaici interitu usque ad C. Iulium Caesarem Achaiae praefuisse contendit. Quorum virorum vel unum tantum hoc munere functum esse, si quis certis argumentis comprobaret, sententiam meam cadere lubenter concederem; sed ut dubiam Pighii auctoritatem taceam, spero fore ut, omnibus rebus accurate cognitis, Plutarchum vera tradidisse, ostendam.

Primum quidem illorum Pighius Aemilium Scaurum producit, qui postea princeps senatus maximum nominis sui famam adeptus est. Quem *a.* 119 *a. Chr.* Achaiae propraetorem fuisse opinatur, quum in numis quibusdam, Aemilio illo praeside cusis, Apollinis attributa occurrant, quibus impressis eos e Graeci tributi argento Delphis percussos esse comprobetur: templum enim Delphicum tanquam centrum Graeciae fuisse. Quod iam eo refutatur, quod Delphi, libera et socia civitas, ne imperatorum quidem tempore Achaiae provinciae adscripti sunt: accedit vero, ut Drumannus demonstraverit, attributa illa ad ludos Apollinares pertinere, quibus Aemilius praetor Romae in urbe praefuit.

Nec melioribus rationibus Q. Ancharius, secundus illorum, probatur, quem Pighius nullo veterum scriptorum teste *a.* 90 *a. Chr.* Achaiae praetorem tribuit; quum tamen hoc tantum traditum sit, illum quopiam tempore praetoris munere functum, deinde vero C. Marii iussu interfectum esse.

24a) Liv. lib. 37, 55.

24b) Pigh. Annal. magistrat. et provinciar. Roman.

Deinde P. Gabinium, quem *a.* 88 *a. Chr.* Achaiae rectorem Pighius exhibet, — quoniam propter pecunias Graeciae in urbibus exactas *a.* 80 *a. Chr.* ab Achaeis Romae repetundarum postulatus est, Achaiae unquam praefuisse, plane non sequitur: quippe qui, si forte Macedoniae vel alius provinciae vicinae proconsul exstiterit, ne Graeciam iniuriis vexaret, a nullo impeditus esset. Quae sententia Verris exemplo firmatur; quem, quanquam in Graecia nunquam ullo magistratu functus est, non solum liberas Athenas expilasse, sed etiam a magistratu Sicyonio pecuniam exegisse eumque recusantem poena affecisse, Cicero docet[25]): cuius verbis simul probatur, Sicyonios tum iure ac nomine liberos fuisse. Quid plura? Cicero eo loco, quo solo Gabinii mentionem facit[26]): „etenim" inquit, „quum lex ipsa de pecuniis repetundis sociorum atque amicorum populi Romani patrona sit, sqq.": unde neque solos provinciales hunc vel illum magistratuum Romanorum de repetundis postulasse, neque pecuniarum repetundarum reum aliquem hanc solam ob causam eorum, a quibus accusatus sit, rectorem habendum esse, manifestum est.

Idem fere in L. Gellium quadrat, quem non solum Pighius propraetorum Achaiae, quos illa aetate fuisse censet, quartum producit, sed alii etiam „propraetorem consulari potestate" Graeciae tribuunt, iis inducti, quae apud Ciceronem (Legg. I. 20.) leguntur. Ubi quum haec fere verba exstent: „Gellium, familiarem tuum, quum pro consule ex praetura in Graeciam venisset, Athenis philosophos, qui tunc erant, in unum locum convocasse": — hunc Gellium Achaiae rectorem fuisse, facile quidem quispiam statuerit. Sed non solum Graeciam a propraetoribus „consulari potestate" i. e. imperio proconsulari instructis unquam administratam esse, nullo scriptorum loco comprobari potest, sed etiam multo probabilius est, Gellium, in *suam* provinciam proficiscentem, tum Graecas civitates tantum peragrasse. Simili enim modo Crassum, — qui apud Ciceronem (de Oratore, I. 11.) haec loquens inducitur: „quum quaestor ex

25) Cic. in Verrem, II. 1, 17.
26) Cic. divin. in Caecil. c. 20.

Macedonia venissem Athenas sqq.", — in Macedonia quaestorem fuisse censeas, quum tamen illi muneri in Asia eum praefuisse, ex eiusdem operis libro III. 20. compertum habeamus. Quibus ex causis igitur Gellium illum non Achaiae, sed Asiae propraetorem fuisse, eo libentius crediderim, quum huius provinciae rectores proconsulari imperio praeditos fuisse inter omnes constet.

Denique Caninio Gallo Achaiam provinciam *a.* 52 *a. Chr.* commissam esse, quo comprobetur, Pighius nihil affert, nisi quod Cicero (ad Famil. II. 8.) in Ciliciam proficiscens M. Caelio scribit: „ego quum Athenis decem dies fuissem multumque mecum Gallus noster Caninius; sqq." Caninium autem propterea quod Athenis, quae nunquam ulli provinciae coniunctae erant, nonnullos dies cum Cicerone versatus est, in Achaiae praetorum numero habendum esse, vix sit, qui arbitretur.

Contra in bellis civilibus saepius Romani commemorantur, quibus Graeciae custodia atque imperium traditum erat: quanquam hi non tam rectores togati („Civilstatthalter"), — quos divisis inter Augustum et senatum provinciis imperii Romani in Achaiam, tum demum ad certam formulam constitutam, missos esse censuerim, — quam praefecti militares ducendi sunt, qui Graeciam, bellis gerendis peropportune sitam, alteri utri partium de summa imperii certantium obtinuerint. Quae sententia eo firmari videtur, quod Cicero in decima orationum suarum Philippicarum[27]) liberae reipublicae studiosorum exercitum „Graeciam *tueri*" *dicit*, quum paullo ante Macedoniam et Illyricum, quae terrae iam diu provinciae factae erant, „a populo Romano *teneri*" retulerit. Quodsi ipso belli Mutinensis tempore (44—43 *a. Chr.*) de rebus Graecorum talia proferre oratori licuit, et Appium Claudium a Pompeio, et Servium Sulpicium*) notissimum illum consularem, a Iulio Caesare, atque adeo Censorinum a M. Antonio Graecis praepositos, in numero militarium praefectorum referri posse, propraetoribus autem

27) Cic. orat. Phil. X. c. 6.

*) Hic quidem iurisdictionem quandam in Graecos exercuisse videtur; cf. Cic. ad Fam. IV. 12.

Augusti demum aetate Achaiam commissam esse, non sine probabilitate existimaverim.

Accedit quod iam prioribus temporibus Romanorum duces belli gerendi causa simili modo Graeciam obtinuerunt: ut L. Flaccum „imperatore Metello" — cui tum non Achaia, sed Creta insula provincia adscripta erat, (68 — 67 *a. Chr.*)[28]). — „Achaiae, Boeotiae, Thessaliae legatum praefuisse" ex oratione discimus[29a]), qua Cicero eius causam defendit. Quibus non minus demonstratur, Graeciam ipsam tum a praetoribus nondum administratam, immo pari fere ratione atque Massiliam habitam esse; quam civitatem liberam et sociam eundem illum L. Flaccum „militem quaestoremque agnovisse", quam attuli Ciceronis oratio docet. Similiter vero de L. Cornelio Sisenna statuendum est, qui — „*Ἑλλάδος ἄρχων*" — bello Piratico 67 *a. Chr.* Cn. Pompeii Magni legatus Macedoniam, Thessaliam, Graeciam propriam et Peloponnesum a praedonibus tuitus est[29b]).

Porro ex omnibus agris Graecis Corinthiae tantum regionis partem hac urbe deleta dominium populi Romani factum esse, iam supra vidimus; „qui ager optimus et fructuosissimus", ut Ciceronis dicto utamur, „L. Mummii imperio et felicitate ad vectigalia populi Romani adjunctus est"[30]). Quo postea coloniam Romanam deductam esse, infra narrabimus.

Denique tantum abest, ut iniuriis, quibus nonnulli Romanorum Graeciam interdum vexarunt, eam provinciam fuisse comprobetur, ut ex ipsis scriptorum locis, quibus eiusmodi Romanorum facinora produntur, autonomiam quandam Graecis relictam fuisse, clare eluceat. Huc inprimis causa Pisonis referenda est, qui Clodii opera (*a.* 58 *a. Chr.*) effecerat, ut sibi quum Macedoniae proconsul praeesset (57 *a. Chr.*), etiam in Achaia, Thessalia, Athenisque potestas quaedam iurisdictionis de pecuniis mutuis concederetur, ex qua,

---

28) Dion. Cass. frgmt. nr. 177. 178. ed. Reimar., lib. 36, 1. 2.; cf. Appian. lib. V. 6. XII. 95.

29a) Cic. pro Flacco c. 26.

29b) Dion. Cass. 36, 1.

30) Cic. c. Rullum. c. 2.

Cicerone teste [31]), „omnis Graecia ei addicta esset.“ Id contra ius fasque institutum esse neque ad rem provincialem pertinuisse et ex eo sequitur, quod Athenae quoque Pisonis imperio tum subiunctae sunt, et ex iis, quae Cicero de lege illa Clodia alio loco profert, facile colligitur [32]); ubi haec legimus: „emisti grandi pecunia, ut tibi de pecuniis creditis ius in *liberos* populos contra senatus consulta et contra legem generi tui dicere liceret.“

Itaque, etiamsi de ratione, quae liberae reipublicae aetate inter Graecos et Romanos intercesserit, aequales scriptores nec accuratius nec fusius disserant, Achaiam etiam post Corinthum eversam libertatis et autonomiae speciem, bellis civilibus quidem in dies imminutam, retinuisse et ante principatum Augusti provinciarum in numero non relatam fuisse, pro certo habendum est. Quin etiam nonnulli veterum scriptorum, de quorum fide dubitari nequit, Graecos populos tum liberos fuisse, occasione oblata clare pronuntiant [33a]). Optime igitur Graecas civitates, qua conditione inde ab anno 146 *a. Chr.* usque ad Augustum usae sunt, iis quas nos vocamus „Vasallenstaaten“ similes fuisse dixeris, si id potissimum respexeris, eas bellis civilibus Romanorum saepissime coactas esse, proprio arbitrio alterius utrius causam seqni eamque viribus suis ac copiis fortiter adiuvare.

---

31) Cic. in Pisonem c. 16.: „nam lege Caesaris iustissima atque optima *populi liberi* plane et vere erant liberi, lege autem ea, quam nemo praeter te et collegam tuum legem putavit, omnis erat *tibi* Achaia, Thessalia, Athenae, omnis Graecia addicta.“

32) Cic. de provinc. cons. c. 4.; cf. Manut. ad Cic. pro Sestio c. 10.

33a) Vid. Cic. pro Sestio c. 43., ubi Thessali et *Achaei* cum Dyrrachinis, qui sec. Famil. XIV. 1, 7. „civitas libera“ erant, eodem loco habentur; deinde Cic. declamat. pro domo c. 9.; pro Flacco c. 40.; Verr. II. 1, 17.; ad Att. I. 19, 9. — Caes. bell. civ. III. 3. „liberis Achaiae populis“; Seneca de benef. V. 16: „ut quae Achaeis, Rhodiis, et plerisque urbibus claris ius integrum libertatemque cum immunitate reddiderat“; Philostr. vit. Apollon. Tyan. V. 13.; p. 249.; Julian. epist. 35.: „*Ῥωμαίοις δὲ ὕστερον οὐχ ἁλοῦσα μᾶλλον ἢ κατὰ συμμαχίαν ὑπήκουσε.*“ — Contra quae Plinius, Traiano imperante, Epist. VIII. 24. Maximo scripsit: „Cogita te missum in provinciam Achaiam .... ad ordinandum statum liberarum civitatum“, fere ad Athenas tantum et Lacedaemonem pertinet; — „Athenas esse, quas adeas; Lacedaemonem, quam regas.“

Neque tamen Graecorum libertatem magni aestimandam fuisse inde apparet, quod, — ut magistratuum Romanorum scelera in subiectos populos omni tempore perpetrata omittamus, — cura atque custodia *Achaiae*, quo nomine universa Graecia inde ab anno 146 *a. Chr.* a Romanis appellata est, quia tum penes Achaeos principatus Graecorum fuerat [33b]), Macedoniae rectoribus commissa erat [34a]). Mos enim atque consuetudo Romanorum erat, terras subactas quidem, sed provinciarum in formam nondum redactas, vicinis proconsulibus custodiendas tradere, qui quum saepius duas vel tres regiones curarent, non solum innoxias ideoque firmo praesidio non obtentas a seditionibus hostibusque tuebantur, sed etiam in rebus earum administrandis persaepe graviorem auctoritatem usurpabant [34b]).

Contra quod Strabo sub finem libri septimi decimi operis sui exhibet [35]), Romanis placuisse, omnes regiones peninsulae Illyricae, a Graecis cultas, in duas provincias dividi, — scilicet alteram septentrionalem, Macedoniae nomine

---

33b) Pausan. VII. 16, 7.; cf. Manut. ad Cic. Famil. IV. 12. — *Achaiae* nomini rerum Romanarum scriptores, in ultimis liberae reipublicae temporibus describendis alii aliam notionem subiiciunt. Quum enim *et* universae Graecorum civitates, libertatis specie praeditae, a plerisque communi Achaiae nomine comprehendantur, (cf. Paus. l. l.) *et* peninsulae Illyricae parti meridionali, tandem ab Augusto in provinciae formam redactae, magistratus Romani hoc nomen publice tribuant: contra alii scriptorum permulti Achaiam, — Graeciae propriae s. Helladi oppositam, — non nisi Peloponnesum intelligunt, (cf. iam Polyb. II. 38 init.; Liv. 31, 26.; 34, 50.; et maxime Appian. bell. civ. lib. V. 77.; Dion. Cass. 43, 36. 39. 48. Cic. de prov. cons. c. 4, 7.); eamque non solum ab Acarnania Aetoliaque, sed etiam a Thessalia atque adeo a Boeotia clare discernunt. (vid. Caes. b. c. III. 4, 55. Cic. ad Att. III. 8, 1.; pro Flacco c. 26. 40.; cf. Verr. II. 1, 21.; pro Sest. c. 43.; in Pison. c. 16. 40.; cf. Plin. h. n. IV. 9.) Ex quo ipso colligas, Graeciam ante Augustum principem non esse provinciam factam.

34a) Plutarch. Cimon. c. 2.: „ἡ δὲ κρίσις ἦν ἐπὶ τοῦ στρατηγοῦ τῆς *Μακεδονίας κ. τ. λ.*" cf. Plut. Caesar. c. 4.; Cic. pro Plancio c. 11.; ad Fam. XIII. 17. 18.

34b) cf. Cic. ad Fam. IV. 3. 12.; XIII. 28.; Strabon. VIII. 5, 5. p. 365.; Dion. Cass. 53, 12.

35) Strabon. XVII. 25. p. 840.

insignitam, alteram meridionalem, *Achaiam* appellatam ac praeter Peloponnesum et Helladem „Thessaliam quoque, Aetoliam, Acarnaniam et quasdam gentes Epiroticas, Macedoniae affines", complectentem, — id Augusti demum aetate, 27 *a. Chr.*, institutum est: sive princeps propraetores iam post Actiacam pugnam, Nicopoli urbe condita, 31 *a. Chr.*, sive provinciis demum inter ipsum et senatum distributis hic proconsules in Achaiam misit, 27 *a. Chr.*

§. 5.

Ut explicemus, quae conditio publica singularum civitatum Graecarum Corintho deleta, vel potius gentium conciliis Pausania teste mox postea restitutis fuerit, Romanos tum eandem rationem secutos esse manifestum est, qua et in Italia et in aliis peregrinorum terris subigendis usi sunt quamque nostra aetate Britanni ad res Indorum administrandas adhibent. Tantum enim abfuit, ut omnibus Graecorum civitatibus eundem ordinem praescriberent, ut aliis alio modo constitutis impedirent, ne Graeci communi servitute oppressi antiquas inter se inimicitias abiicerent et communi Romanorum odio implerentur.

Achaeos, *Boeotos* [36]) aliasque eiusmodi gentes Graecas ex arbitrio proconsulum Macedoniae pependisse modo ostendimus: e quibus *Aetolorum* foedus, — et bello quo *a.*

36) Boeotorum foedus, quod propter nimium Persei, Macedonum regis, studium a Romanis in bello cum hoc principe gesto sublatum erat, (Polyb. XXVII. 1. 2. 5. 10.; cf. Liv. 42, 43. 44. 63.) postea restitutum et a. 146. *a. Chr.* simul cum Achaeorum et Phocensium conciliis denuo dissolutum esse, e Pausan. VII. 16, 6. Boeckhius collegit (l. c. p. 713.); quod ut existimaverit, errore eum ductum esse Raoul-Rochette („sur la forme et l'administration de l'état fédératif des Béotiens" in M. de l'A. d. I. VIII. 1827. p. 239.) contendit. — De ratione, quae inter Boeotos et Romanos posteriore aetate intercesserit, vid. Plut. Cim. c. 2.; Cic. N. D. III. 19.; concilio Boeotorum, nonnullis annis post Corinthum deletam una cum aliorum populorum foederibus instaurato, (Paus. l. l. 7.), etiam secundo post Christum saeculo Boeotarchas, qui Thebis fuerunt, praefuisse Plutarchus docet; Plut. reip. ger. praec. c. 17.; Moral. Vol. II. p. 813 e.

189 *a. Chr.* a Romanis plane devicti erant, et iis quae hoc bellum secutae sunt calamitatibus, Amphilochis potissimum senatus iussu a foedere disjunctis [37]), prorsus debilitatum et fractum, — summis angustiis premebatur. Quod foedus, quamvis Augusti aetate Nicopoli urbe condita vehementer turbatum esset, ipso Pausaniae tempore supererat, adeo *Amphissa* urbe adjuncta [38]): quae simul cum Locris Ozolis liberae reipublicae Romanae aetate immunis fuit [39]).

Contra *Spartanis* Romani multo magis favisse videntur. Qui postquam rebus Graecis implicari coeperunt, inimicitiis quae inter Achaeos et Spartanos erant, in suum commodum usi plerumque hos ab inimicis defenderunt. Quanquam enim Quinctius Flamininus temporibus inserviens 195 *a. Chr.* simul cum Achaeis Nabidi, Spartanorum tyranno, bellum intulerat eumque vi et armis coëgerat, ut Sparta urbe contentus Laconicae urbes maritimas, quarum incolae postea „Eleutherolacones" appellati sunt, Achaeis cederet [40]): nihilosecius Romani postea Spartanos ab iniuriis Achaeorum tuiti sunt, ut — illorum libertatis servandae simulatione atque nomine — semper rebus Graecorum sese immiscerent atque prohiberent, ne foederis Achaici in Peloponneso potentia confirmaretur. Sic factum est, ut perpetuae inter Spartanos et Achaeos dissensiones et querelae, quas illi de horum iniuriis ad senatum detulerunt, tandem Romanis ad bellum Achaeis inferendum (147—146 *a. Chr.*) ansam praeberent.

Quo bello confecto Spartani cum ab Achaeorum vexationibus liberati suisque legibus vivendi ac pristina instituta obtinendi facultatem assecuti, tum a Romanis multis praemiis ornati sunt. Quippe qui, teste Strabone [41]), „in eximio haberentur honore libertatemque retinerent, praeter socias operas — („φιλικαὶ λειτουργίαι") — nihil quicquam Romanis pendentes." Itaque nec moenia et arx Spartae deiecta, nec cives armis privati et vectigalia certa solvere coacti sunt,

---

37) Polyb. XXII. 9—15.; Liv. 38, 8—11.; 41, 25.; 42, 5.; Iustin. 33, 2.; cf. Diod. Sic. fragm. II. p. 643. ed. Wessel.
38) Pausan. VII. 18, 6.; X. 38, 2.
39) Plin. h. n. IV. 1—8. (1—15.)
40) Liv. 34, 35. 36. 35, 13. 38, 31.; cf. Strabon. VIII. 5, 5. p. 366.
41) Strabon. VIII. 5, 5. p. 366.

nec magna institutorum legumque commutatio facta esse videtur*). Atque adeo, si Pausaniae locum[42]) recte intellexerim, urbes illas maritimas Nabidis tempore Spartanis ademtas tum ab Achaia seiunctas et Spartae urbi iterum adscriptas esse censuerim: cuius sub imperio usque ad Augustum imperatorem permansisse videntur. Sed quamvis hanc ob causam Spartani conditione multo meliore quam reliqui Graeci praeter Athenienses usi sint, tamen ne fortunam illorum maiore laude efferas cavendum est; quorum libertatem, ut omnium liberarum civitatum sub imperio Romanorum, nomen tantum ac speciem fuisse hoc Plutarchi dicto[43a]): „*καὶ παραπλήσιοι τοῖς ἄλλοις γενόμενοι τὴν πρόσθεν εὔκλειαν καὶ παῤῥησίαν ἀπέθεντο καὶ εἰς δουλείαν μετέστησαν, καὶ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίοις καθάπερ οἱ ἄλλοι Ἕλληνες ἐγένοντο.*" plane probatur.

Deinde *Deli* insulae res mox post Corinthum eversam temporis opportunitate vehementer auctae sunt. Iam enim *a.* 167 *a. Chr.* Romani, ut Rhodiorum commercio detrimentum afferrent, Apollinis templo immunitatem concesserant et insulae portum de vectigalibus exemerant. Praeterea autem et portus iis qui ex Italia et Graecia in Asiam navigarent, peropportune erat situs, et Athenienses qui, Delo tum a Romanis iis concessa, priscis incolis in Peloponnesum migrare coactis, insulam cleruchiam instituerant[43b]), sacra et negotiationes diligenter procurabant. Quibus omnibns post paucos annos iam factum est, ut portorium Rhodiorum, quod superioribus temporibus decies centena millia drachmarum *confecerat*, ad centum quinquaginta millia vix perveniret. Nec minus Deli frequentia et opes eo potissimum accreverunt, quod Corintho deleta mercatores cum alii, tum maxime Ro-

---

*) Perpauca quae de rebus et institutis Spartanorum sub imperio Romanorum tradita sunt, vid. infra Cap. III. §. 6. et Part. alter. Cap. I. §. 3.

42) Pausan. III. 21, 6.

43a) Plutarch. institt. Lacon. c. 42.; Moral. Vol. I. pag. 240 b.

43b) Polyb. XXII. 17. init.; cf. Pausan. VIII. 33, 1.; Boeckh. C. I. vol. II. nr. 2270.: „*τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων τῶν ἐν Δήλῳ*"; cf. Aristid. Panathen. I. p. 308. ed. Dindorf.

mani, qui antea Corinthum frequentaverant, Delum transiverunt, ut haec insula in Corinthi locum succederet et summum commercii inter Europam Asiamque emporium fieret[44]). Neque tamen haec Deliorum fortuna diuturna fuit, quum iam primo bello Mithridatico regis duces insulam saevissime devastarent.

Denique quum Delphos, Thespias, Tanagram hac aetate civitates liberas et foederatas fuisse[45]), commemorare satis sit, id solum restat, ut de statu Athenarum, quae urbs etiam his temporibus omnium Graecarum longe gravissima fuit, fusius disseramus.

§. 6.

Athenienses quidem, tertio ante Christum saeculo medio Achaeorum auxilio tandem aliquando a praesidio Macedonico liberati, nihilosecius, sive pristini principatus recordatione sive sagacitate quadam politica inducti sunt, illis se adjungere dedignati, posteriore aetate Romanorum amicitiam amplecti maluerunt[46]). Quos quum in bellis cum Macedoniae regibus inde ab anno 200 *a. Chr.* gestis pro suis viribus adiuvissent, Atheniensibus contigit, ut non solum libertatem suam et autonomiam obtinerent, sed etiam Romanorum gratia, Perseo rege devicto, Lemnum, Imbrum, Scyrum Delumque insulas recuperarent et Boeotorum foedere sublato Haliarti urbis in bello contra Perseum gesto eversae agros donum reciperent (*a.* 167 *a. Chr.*): quae terrae et vectigalia illis pendebant et sub ius et iurisdictionem eorum subiunctae esse videntur[47]). Cuiusmodi beneficiis Athenae postera aetate a potentibus Romanis, maxime a principibus, qui urbem aut praemiis aut poena afficerent, saepius modo ornatae modo privatae sunt.

---

44) Polyb. 31, 7.; Strabon. X. 5, 4.; Cic. pro lege Manilia. c. 18.
45) Plin. h. n. IV. 1—8. (1—15.)
46) Pausan. I. 36, 4.; cf. 29, 12.
47) Polyb. 30, 18.; Exc. Vatic. t. II. p. 437.; Vitruv. archit. VII. 7.; Strabon. IX. 2, 30. p. 411.; cf. Ahrens. p. 60—63.; Livio quidem teste (lib. 33, 30.), qui a Polybio aliisque scriptoribus aliquantum discrepat, iam post bellum cum Philippo rege confectum (196 *a. Chr.*) Romani Atheniensibus Parum, Imbrum, Delum Scyrumque cleruchias, a Macedone iis ereptas, reddidere; sed cf. Schorn, Griech. Gesch. p. 367.

Nihilominus autem Atheniensium rempublicam illo tempore et summa pecuniae inopia oppressam fuisse et ab nutu Romanorum pependisse, ex iis quae de Oropo oppido ab illis spoliato (*a.* 155 *a. Chr.*), et de rebus hoc scelus secutis tradita sunt, perspicue cognoscitur.[48]). Contra foederis Achaici interitus Atheniensium civitati damnum adeo non intulit, ut et liberae reipublicae Romanae et imperatorum aetate liberam, Romanorum sociam et amicam eam fuisse statuendum sit[49]). Athenas enim Romanorum praesidio obtentas non esse, e scriptorum silentio et praecipue e Mithridatici belli historia certe colligitur[50]), quum autonomiam i. e. suos magistratus suamque iurisdictionem eas retinuisse Strabo et Plutarchus[51]), immunes fuisse i. e. nulla tributa pependisse urbem Aristides[52]), et societate cum Romanis coniunctas fuisse Tacitus[53]) diserte affirment. Sed tamen quum Romanis cuiuscunque rei faciendae esset potestas, nec quisquam refragari posset, si libertatem eiusmodi civitatum aut minuere aut plane delere vellent, Athenae quoque, etsi „civitas *αὐτόνομος, ἀφρούρητος* et *ἀτελής*" fuerunt, haud dubie ab nutu et arbitrio Romanorum tantopere pependerunt, ut libertas Atheniensium, pariter atque omnium imperii Romani

48) Pausan. VII. 11.; cf. Cic. Academ. II. 45.; Plut. Cat. Mai. c. 22.; Gell. N. A. VII. 15.; Macrob. Saturn. I. 5.

49) Strabon. IX. 1, 20. p. 398.: „*Ῥωμαῖοι δ' οὖν παραλαβόντες αὐτοὺς δημοκρατουμένους, ἐφύλαξαν τὴν αὐτονομίαν αὐτοῖς καὶ τὴν ἐλευθερίαν ... καὶ μέχρι νῦν ἐν ἐλευθερίᾳ τε ἐστὶ καὶ τιμῇ παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις.*" Cf. Vellei. Paterc. II. 23; Ahrens. pag. 18—23.

50) Ex iis Livii locis quibus Meursius (de fortun. Athen. c. X. opp. I. p. 89.) Athenas firmo praesidio obtentas fuisse probare studet, (Liv. 31, 23.; 32, 16.), nihil sequitur, nisi primo bello Macedonico (200—198 *a. Chr.*) Romanos amicas sociasque Athenas praesidio ab hostibus defendisse; pace autem restituta manum Romanam Athenis remansisse Livius nusquam tradit.

51) Strabon. l. l.; Plut. Comp. Lys. c. Sull. c. 5.

52) Aristid. Panathen. ed. Genev. 1604.; t. I. p. 319 c.; quo loco Athenas immunitate praeditas conditione ceteris Graeciae oppidis tributariis longe feliciore frui celebratur.

53) Tacit. Annal. II. 53.

civitatum, quae liberae appellatae sunt[54a]), non tam vera libertas, quam privilegium esset.

Quaenam Romani in Atheniensium legibus institutisque mutaverint, satis clare perspici vix possit. Quodsi iis quae Appianus profert[54b]), „Atheniensibus post captam Graeciam leges et instituta a Romanis data esse" ea addis, quae Posidonius apud Athenaeum[55]) de civitatis statu loquentem facit Aristionem, — id potissimum Romanos egisse censuerim, ut democratiae licentiam ecclesiae et iudiciorum popularium, maxime heliaeae, potestate arctioribus finibus circumscribenda cohiberent, optimatium vero auctoritatem et potentiam omni modo augerent. Quod et aliunde licet concludere: quum enim (*a.* 88 *a. Chr.*) Athenienses Aristione potissimum auctore Mithridatis partes sequerentur, inprimis plebem, propter democratiam a Romanis imminutam iis offensam, his rebus studuisse inde probatur, quod optimates Romanis fidi aut Romam in urbem aut Sullae in castra profugerunt[56]).

Romani autem, qua erant prudentia, nihil fere aperte mutarunt: quippe qui, servatis pristinorum magistratuum nominibus, *Areopagi* potissimum, „quod unicum in republica Atheniensium supererat gravioris momenti elementum aristocraticum", ut ita dicam, vim et auctoritatem adeo augerent, ut summas fere partes in regenda civitate assequeretur[57]). Nec minus quum magistratum, pristino tem-

---

54a) De liberarum imperii Romani civitatum statu universo cf. Ahrens. p. 19—21.; Hoeck. t. I. p. II. pag. 242 sqq.; Kuhn. pag. 80—98.

54b) Appian. Mithridat. c. 39.: „ἃ πρότερον ἁλούσης τῆς Ἑλλάδος ὑπὸ Ῥωμαίων αὐτοῖς διετέτακτο" et deinde de Sulla narrat: „καὶ νόμους ἔθηκεν ἅπασιν ἀγχοῦ τῶν πρόσθεν αὐτοῖς ὑπὸ Ῥωμαίων ὁρισθέντων."

55) Athen. V. p. 212 f.

56) Plut. Sull. c. 13.; cf. Pausan. I. 20.

57) Vid. Ahrens. pag. 34—39.; cf. Plut. an seni sit respubl. gerend. c. 20. Moral. Vol. II. p. 794 b.; Cic. N. D. II. 54.; orat. pro Balbo c. 12. — Quodsi Meursius (Areopag. c. 3. opp. ed. Lam. II. p. 379.) tota Graecia subacta Areopagum a Romanis sublatum esse censet, id et universae rationi, qua Romani Atheniensem rempublicam habuerunt, contrarium est, et ex locis, quibus ille opinionem suam confirmare

pore non adeo gravem, summum praetorem, („στρατηγὸν ἐπὶ τοὺς ὁπλίτας vel ἐπὶ τὰ ὅπλα"), dictatoria fere potestate ornarent, qua nunquam prioribus democratiae Atticae temporibus ullus magistratus instructus fuerat [58]), et denuo instituerent, ut gravissimi certe magistratus non iam sortitione, quod inde ab Aristidis aetate usitatum fuerat, sed electione vel suffragiis crearentur [59]): ii prohibere studebant, ne multitudo effrenata ac popularis imperii studiosi in republica Atheniensium administranda maiore eaque Romanis molesta auctoritate valerent. Ceterum priore profecto imperii Romani tempore antiqua democratiae instituta et magistratûs, ut novem archontes, magis scilicet nomine quam potestate graves, senatus (βουλή), sexcentorum [60]), cui modo quadraginta unus modo quadraginta duo prytanes invicem praeerant, et notissimae illae ecclesiae, permanserunt, neque etiam summae potestatis nomine et specie populus privatus est [61]).

---

studet, omnino nequit deduci. Δικαστήρια enim, — ut taceam, Areopagum semper „βουλήν" appellatam esse, — quae vel sublata vel imminuta esse Aristion contendit, (Athen. V. p. 212 f.), haud dubie heliaea et alia eiusmodi iudicia democratica intelligenda sunt.

58) Ita Aristionem, praetoris munere impetrato, Athenis tyrannidem occupasse, (vid. Athen. l. l.), infra videbimus. — De „strategis" vid. Ahrens. p. 42—49.; cf. v. Dale. diss. V. 3. p. 410 sqq.; Corsini F. A. I. p. 40—47.; Plut. praec. reip. gerend. Moral. Vol. II. p. 813 d.; Philostr. vit. sophist. I. 23.; Boeckh. C. I. vol. I. nr. 185. 189. 191. 192. 477—480.

59) Id e loco quodam Plutarchi (Pericl. c. 9.) apparet, quo sortitio magistratuum ut iam diu abolita commemoratur; cf. Lucian. Vitarum auctio c. 6., ubi suffragiorum fabis latorum mentio fit. Deinde vero iam Aristionem aliosque qui eum secuti sunt magistratus suffragiis (χειροτονίᾳ vel ψήφῳ) creatos esse, inter omnes constat. Denique Philostrati locum (l. l. II. 1, 5.; 20, 1.: „ἔν τε λειτουργίαις ἃς μεγίστας Ἀθηναῖοι νομίζουσι, τήν τε ἐπώνυμον καὶ τὴν ἐπὶ τῶν ὅπλων ἐπετράπη"), si recte intellexerim, gravissima munera illa aetate liturgiarum in numero habita esse videntur.

60) Pausan. I. 5, 5.; Corsini F. A. t. I. pag. 121.; t. IV. pag. 67. 101.

61) His etiam temporibus comitia populumque („δῆμον") summa potestate, — quam nos dicimus „Souveränität", — praeditum fuisse, permultis decretis confirmatur, quae hac aetate Athenienses ediderunt; cf. Boeckh. C. I. vol. I. nr. 408—460.

§. 7.

Quanquam temporum iniquitate Athenae auctoritate sua politica iam diu exutae erant, tamen antiqui splendoris speciem et maiorum gloria et philosophorum scholarum praestantia retinuerunt. Quos viros doctos iam tum in republica Atheniensium nonnihil valuisse inde colligas, quod Carneades academicus, Diogenes stoicus, Critolaus peripateticus (*a.* 155 *a. Chr.*) ab Atheniensibus ad senatum Romanum legati missi sunt, qui de rebus Oropiis agerent [62]): neque tamen ea auctoritate excelluerunt, qua imperatorum aetate sophistae, qui vocati sunt, Athenis floruerunt.

Quum iam Athenienses, negotiis publicis gravioris momenti non amplius impliciti, litteris colendis fere acquiescerent, res eorum magna quae ad philosophorum scholas undique confluebat iuvenum copia et usu pecuniarum, quae ex oppidis, Romanorum gratia civitati concessis, redibant, denuo efflorescere coeperunt. Quae prospera Athenarum fortuna vehementer turbata est seditione a servis *a.* 133 *a. Chr.* mota, qua urbis et otium et opes magnam labem dederunt.

Illo enim tempore servi, quorum — liberis rusticis pravo latifundiorum studio in dies imminutis — in omnibus terris Romanorum imperio subiectis ingens multitudo fuit, et servitutis iugum aegre ferentes et, quum maximam partem oppidorum deletorum liberi cives fuissent, saevo Romanorum odio incensi primum in Sicilia insnla 135 *a. Chr.* tumultum concitaverant. Qui quum Euno vel Antiocho Syro et Achaeo quodam Graeco ducibus bellum prospero eventu gererent, *a.* 133 *a. Chr.* multis aliis locis eiusmodi aut seditiones aut coniurationes factae, ut in Italia Romae, Minturnis, Sinuessae in urbibus, sed fere ubique cito a magistratibus oppressae sunt. Ut vero de Graecia dicamus, multa millia servorum *Atticorum* [63]), qui in metallis Lauria-

---

62) Pausan. VII. 11. Plin. h. n. VII. 31. A. Gell. VII. 14. et XVII. 21. Cic. Tusc. IV. 3. Acad. II. 45.

63) Etiam *Deli* in insula tum servos tumultum edidisse solus Diodorus refert.; Diod. Exc. Phot. p. 528. (Ecl. 1. l. 36. ed. Wessel. II. p. 528.): „*κατά τε Ῥωμὴν δούλων ἀπόστασις ἑκατὸν πεντήκοντα συνομοσάντων ἀνήπτετο καὶ κατὰ Ἀττικὴν ὑπὲρ χιλίων, ἔν τε Δήλῳ καὶ κατ᾽ ἄλλους πολλοὺς τόπους.*"

cis vinculis constricti tenebantur, tum seditionem moverunt et custodibus metallorum interfectis Sunii arcem ceperunt. Sed quum per aliquantum temporis Atticam depopulati essent, tandem ab Heraclito, Atheniensium praetore, non sine magno negotio superati sunt [64a]). Quo factum esse videtur, ut metalla, e quibus Athenienses antea magnum fructum ceperant, postea fere deserta iacerent [64b]).

64a) Posidon. ap. Athen. VI. p. 272 e.; Diodor. l. l.; Oros. hist. adv. pag. V. 9. Paull. Diacon. miscell. histor. l. IV.; Corsini F. A. III. p. 111.; cf. Liv. epit. l. 56. — Posidonium quum hanc seditionem eodem tempore cum secundo bello servili fuisse dicat, Euni seditionem in Sicilia factam intelligere, bellis servilibus aliter atque vulgari ratione numeratis, censuerim. Quodsi Bakius (ad Posidon. p. 153.) id quod Posidonius exhibet, ad bellum *cum* Spartaco 73 *a. Chr.* gestum, ibidem commemoratum, referendum esse putat, huic opinioni alii testes ad unum omnes obstant: quo accedit, quod post bellum Mithridaticum tot millia servorum in motallis Lauriacis fuisse credi nequit.

64b) Paus. I. 1, 1.



CAPUT II.

A. a. Chr. 133—84.

§. 1.

Toto temporis spatio inde ab anno 133 *a. Chr.* usque ad bellum Mithridaticum primum neque de Athenarum neque de universae Graeciae fatis magni quidquam commemoratur, nisi quod Agathocle archonte 126 *a. Chr.* legati Ioannis Hyrcani, qui tum Iudaeorum et pontifex maximus et ethnarcha fuit, Athenas venerunt: cuius in honorem a populo Atheniensi decretum (ψήφισμα) factum est[1]). Praeterea Iasonem quendam proximo anno (125 *a. Chr.*) summo Athenarum magistratu functum esse nobis traditum est[2]). Ac denique Hoeckii iudicio Achaia[3]) in numero earum terrarum fuit, in quibus ut ex auro Tolosanis templis erepto agri emerentur ad colonias veteranorum Marianorum plebisque Romanae deducendas, C. Mario consule (*a.* 100 *a. Chr.*) lege agraria sua secunda L. Apuleius Saturninus tribunus plebis rogavit: quam rogationem tribuni nece cecidisse omnibus notum est.

Neque tamen credas, res Graecorum hoc tempore floruisse: immo eadem mala, quibus tum Italia laboravit, magnam Graecis calamitatem attulerunt: quo id potissimum referendum est, quod re pecuaria in dies aucta agricultura in summas angustias adducta est. Nam ut iam priore aetate Megalopoli urbe condita, permultis vicis pagisque in magnam urbem

1) Ioseph. Antiquit. Iud. XIV. 16.; cf. Corsini F. A. vol. I. pag. 279 sqq.
2) Phlegont. Trall. hist. mirab. 10.
3) Hoeck; t. I. p. 1. pag. 49 sqq.; cf. Appian. bell. civ. I. 29 sqq.; Plut. Mar. c. 29.; Cic. ad Herenn. I. §. 21.; Aurel. Victor. de viris illustr. 73 sqq.

contractis, permulti coloni agros deseruerant[4]), optimates utpote qui id praecipue agerent, ut latifundia quam maxima sibi compararent, — quo ultimis etiam foederis Achaici temporibus saluti publicae eos vehementer nocuisse Polybius acerbe queritur[5]), — illo tempore rei rusticae maximum detrimentum intulerunt. Quo factum est ut agris magis magisque desertis, nuptiarum ac liberorum iusta uxore natorum et rusticorum liberorum numero in dies imminuto, tandem Achaia non nisi a nonnullis locupletioribus et ingenti et servorum et plebis urbanae multitudine habitaretur: nec mirum quod iam Augusti aetate plurimarum civitatum conditio tam misera fuit, qualem a Strabone eam describi infra demonstrabimus.

Accedit quod ii ex Graecis, qui ingenio vel ambitione praestabant, quum Achaia dignitate sua politica privata esset, aut in Graecas Asiae civitates migrarunt aut Romam se contulerunt, qua in urbe vel philosophiae doctrinam profiterentur vel eruditione sua et urbanitate potentium virorum amicitiam assecuti, et ipsi auctoritate quadam valerent: ut praetermittam abiectam illam vilemque gregem Graeculorum, qui animorum humilitate atque nequitia Graecum nomen Romanis ludibrio praebuerunt et contemtum ei attulerunt.

Athenienses quoque, quanquam libera fuit et socia civitas, his temporibus minus commode sese habuisse videntur: quibus Romanorum imperium haud leve fuisse ac libertatem urbis a proconsulibus vicinis saepius vexatam esse, cum omnino, si respexeris qua ratione alias Romani socios tractare solerent et magistratus illorum non solum in provinciales, sed etiam in liberas et socias civitates, in quas nullam potestatem haberent, impune plerumque quaeque facinora auderent, maxime probabile sit et plura scriptorum testimonia doceant[6]), tum maxime ex eo apparet, quod postea Aristio populum Atheniensem, gratia et auctoritate qua Atticos optimates sustentabant Romani ad summum eorum odium concitatum, nullo fere negotio commovit, ut pronus Mithridatis castra sequeretur.

---

4) Strabon. VIII. 9.
5) Polyb. 37, 4.
6) Cf. Appian. Mithrid. c. 39.; Cic. Verr. II. 1, 17. Athen V. c. 50. p. 212 f.; („τὸ βῆμα τὸ πρὸ τῆς Ἀττάλου στοᾶς ᾠκοδημένον τοῖς Ῥωμαίων στρατηγοῖς.")

Ut vero ea, de qua modo diximus, aetate quaecunque de Graecorum fatis a scriptoribus memorantur, ea fere omnia nihil habent momenti, ita hoc belli Mithridatici tempore, quo de imperio orbis terrarum Romani cum Mithridate in Graecia certaverunt, eorum quae vel universi Graeci vel inprimis Athenienses in hoc discrimine rerum passi sunt, largissima copia nobis tradita est.

§. 2.

Mithridates VI. rex Ponti, Romanis post Hannibalem infestissimus, Romanorum ducibus qui in Asia minore fuerunt plane devictis totaque hac terra subacta (*a.* 88 *a. Chr.*), eo audaciae progressus est, ut Graeciam quoque occupare et Romanorum opes, quae tum et bello sociali modo confecto et intestina discordia valde debilitatae erant, in ipsa Italia frangere constitueret. Qua in re molienda maxime speravit, fore ut Graeci, quorum in Romanos voluntatem inimicissimam esse compertum habuit, duces suos pro viribus adiuvarent. Atque profecto Graeci, Romanorum duro imperio oppressi, antiquae libertatis memores, quum suis viribus eam recuperare non possent, Mithridatis quem sine ullo negotio totam Asiam cepisse viderunt auxilio libertatem vindicatum iri sperantes, omnes fere regis legatis faciles aures praebuerunt[7]).

Quum igitur Mithridates, postquam in Rhodo urbe munitissima, quae Romanis fidem servabat, summa vi oppugnanda nihil profecit[8]), Archelaum et Neoptolemum fratres duces suos cum magna classe summisque copiis in Graeciam mitteret, cuius terrae quam plurimas civitates sive foederibus faciendis sive vi et armis caperent, primo impetu pleraeque maris Aegaei insulae ad regem defecerunt. Deinde quum Archelaus ab Athenis, quae urbs iam antea Aristionis opera ad Mithridatis causam perducta et sedes quasi belli delecta erat *), in Graeciam propriam invaderet, Achaei, Lacedaemonii **) Boeotique illico in eius partem transierunt: sola

---

7) Plutarch. Sulla. c. 11.; Florus III. 5, 8.

8) Appian. Mithrid. c. 24—27.

*) De his rebus paullulum infra continua oratione ac fusius dicam.

**) Crediderim hos Lacedaemonios non tam Spartanos intelligendos esse, quam oppidorum illorum Laconicorum incolas, qui cum *a.* 146

Thespiarum urbe excepta*), quae statim circumvallata et oppugnata est[9]. Eodem fere tempore Metrophanes cum altero Mithridatis exercitu Euboeam, Demetriadem Magnesiamque, quae regis partes sequi nollent, saevissime depopulatus est. Contra quem Bruttius Sura, Sentii Macedoniae propraetoris legatus rei militaris peritissimus, cum parva manu e Macedonia profectus, regis copias navali proelio profugavit et, Metrophane e Thessalo mari expulso, Sciathum insulam expugnavit, quae tum in potestate piratarum barbarorum fuit[10]. Quibus rebus gestis Bruttius, equitibus peditibusque nonnullis e Macedonia submissis corroboratus in Boeotiam contra Archelaum profectus, ad Chaeroneam urbem proelium commisit, quo per triduum dubio Marte dimicatum est. Tandem vero Archelaus, etsi et Aristionis copiis et Achaeorum et Lacedaemoniorum auxiliis adiutus erat, „eo ipso inferiorem se putans, quod superior esse non potuisset", Athenas sese recepit**). Neque tamen Archelaum insequi Bruttio licuit: qui iussu Lucii Luculli quem Sulla legatum in Graeciam praemiserat, in Macedoniam rediit et Sullae Mithridatis copias debellandas reliquit *a.* 88 *a. Chr.*[11]).

Mox postea (*a.* 87 *a. Chr.*) L. Cornelius Sulla, cui consuli anni 88 *a. Chr.* Mithridaticum bellum demandatum erat, quinque legiones, nonnullas cohortes auxiliares paucosque

---

a. Chr. iterum Spartae urbi subditi essent, voluntatis inclinatione plane non pependerint in Romanos; cf. Memnon. exc. hist. 32.

*) Probabile videtur esse, Thespiensibus ob fidem hoc tempore Romanis servatam Mithridatis copiis e Graecia expulsis a Romanis libertatem concessam esse, qua oppidum ornatum fuisse Plinius (h. n. IV. 12.) docet.

9) Appian. l. l. c. 17. 27—29.; Plut. Sull. c. 11.; Flor. l. c.

10) Appian. c. 29.

**) Appiano, qui (*l. l. c.* 29.) Bruttium post pugnam Chaeronensem in Piraeeum sese recepisse narrat, nulla fides habenda est. Nam quum Archelaum Athenis profectum in Boeotiam invasisse omnes alii scriptores testentur (cf. Plut. l. c. 11. 12.; Liv. epit. lib. 78.), eum Piraeeum quoque, quem postea a Sulla fortissime defendit, classe copiisque terrestribus obtinuisse manifestum est. Ceterum Bruttium, ut tum res Romanorum in Graecia erant, cum parva sua manu non nisi insania captum proficisci potuisse Piraeeum, ii tantum negabunt, qui ne leviter quidem re militari imbuti sunt.

11) Appian. Mithrid. c. 2.; Plut. Sull. c. 11.

equites, quas copias ornandas atque instruendas Romani pecuniae inopia coacti agris sacris ad Capitolium venditis curaverant, in Graeciam traiecit [12]). Cui ubi advenit statim Aetoli Thessalique copias auxiliares, pecuniam, commeatum praebuere. Atque ut iam Bruttius Sura septentrionalem Graeciae partem Romanorum in fidem receperat, ita Sullae adventus tantum Graecis terrorem iniecit, ut omnes fere civitates, quae quidem more Graeco rem Mithridatis non tam factis, quam verbis adiuvissent, nulla mora Romanorum in potestatem sese permitterent. Quin etiam ipsae illae Peloponnesiorum copiae, quae Archelao auxilio venerant, non amplius commemorantur: quare post pugnam Chaeronensem re infecta domum eas rediisse probabile est.

Sic Sullae Thessalia peragrata nullo resistente in Boeotiam procedenti contigit, ut cum ceteros Boeotos armis Romanis perterritos sine acie subigeret, tum ipsas Thebas urbem gravissimam traditam reciperet [13]). Unde in Atticam profectus est, ut Archelaum e Graecia prorsus propelleret; Athenienses vero, Mithridatis causae deditissimi, in defectione sua perseverarunt et cum Romanis de victoria acerrime contendere conati sunt.

§. 3.

Iam vero restat ut quibus causis perducti Athenienses a Romanis ad Mithridatem regem desciverint, fusius explicemus et tum quae hoc in bello perpessi sint, continua oratione describamus. — Conditionem Athenarum, qua civitas libera et socia sub imperio Romanorum usa est, multitudini omnino non placuisse supra vidimus. Eo ipso autem tempore, quo Mithridates Romanorum copias in Asia minore delevit, popularis imperii studiosi *et* multa quadam civitati a Romanis irrogata vehementer exacerbati [14]) *et* cum optimatibus Romanorum studiosis maximas simultates exercuisse videntur. Qui quum Marii partes, quarum opera Atticam quoque

12) Appian. 22. 30.; Oros. l. c. V. 18.

13) Appian. Mithrid. c. 30.; Plut. Sull. c. 12.; Pausan. IX. 7, 4.

14) cf. Athen. V. p. 212 a. „*ὥςτε μὴ μόνον τῶν ἐπιφερομένων ὀφλημάτων ἀπολυθέντας ἐν ὁμονοίᾳ ζῆν, κ. τ. λ.*"

democratiam auctum iri illos sperasse vero simile est, Romae in urbe Sullae succubuisse viderent, libertatis recuperandae spem in Mithridate rege potentissimo posuerunt atque cum eo, iam priusquam copias suas in Europam misisset, foedus inierunt.

Tum enim Aristio vel Athenio*), homo ignobili loco natus, sordidi animi labe adspersus, omnibus flagitiis deditus [15]), ingentibus divitiis quas peripateticorum doctrinam et Athenis et in aliis Graeciae oppidis, ut Messenae et Larissae, profitendo sibi comparaverat [16]), Athenis apud plebem auctoritate plurimum valuit, veteres illos famosos demagogos imitatus. Qui populi suffragiis ad Mithridatem in Asiam missus regis, qui consilia sua huius opera vehementer adiutum iri intelligeret, amicitiam sibi conciliavit et mox Athenienses, ut ad regem deficerent, integri popularis imperii restitutionem magnaque insuper munera pollicitus, crebris epistolis incitavit. Quibus promissis fastuose gloriabantur Athenienses, summa sperantes et iamiam eversam esse Romanorum potentiam sibi persuadentes. [17]).

---

*) „Athenio" vocatur a Posidonio l. c. et a Jul. Capitolino Vit. Maxim. c. 9.; a ceteris omnibus (cf. Appian. Mithrid. c. 28 sqq.; Strabon. IX. 1, 20.; p. 398 b.; Plut. Sull. c. 12 sqq.; Dion. Cass. ed. Reimar. I. p. 50 sqq.; Pausan. I. 20, 3.) „Aristio" aut „Aristo", de qua nominis varietate vid. Wyttenb. Anim. ad Plut. Mor. II. 1. p. 392; Fabric. ad. Dion. Cass. lib. 35. p. 50. De nominibus „Athenio" et „Aristio" dixerunt P. Victorius var. lectt. XXV. 24. et Casaubonus ad Athen. p. 212.; ille putat, ceteros scriptores vero eum nomine, Posidonium patris nomine appellasse, quod vix est probabile: hic, eum quum παρέγγραφος esset civis, novum nomen assumpsisse. Sed cf. Ahrens. pag. 4. nr. 2.

Posidonio teste *et* Athenio, tyranni pater, in schola versabatur Erymnei Peripatetici, qui post Diodorum Tyrium, Critolai successorem, huic sectae praefuisse videtur (cf. Fabric. Bibl. Gr. ed. Harles. III. p. 491. 492.), *et* Aristio filius peripateticorum doctrinae addictus fuit. Quodsi vero Appianus l. l. hunc Epicureum fuisse narrat, id nihili habendum est, quum qua negligentia hic scriptor ea quae levioris momenti esse putat, referat, inter omnes notum sit: haud dubie Appianus e moribus Aristionis eum fuisse Epicureum collegit.

15) Athen. V. 48. p. 211 e. sqq.; Plut. Sull. c. 13.; Appian l. l. c. 28.; Dion. Cass. lib. 34. frgmt. 124. ed. Reim. t. I. p. 50.

16) Athen. V. p. 211 d. f. 212 a.

17) Athen. l. c. p. 212 a. sqq.

Deinde postquam Mithridates totam Asiam minorem subegerat, Aristio ipse Athenas rediit, ubi tanquam sospitator libertatis a populo sollemni pompa et divinis fere honoribus exceptus est, qua adulatione prioribus temporibus Cleon vel Demetrius Poliorcetes habiti erant[18]. Quo multitudinis favore Aristio, qui id potissimum spectavit, ut Mithridatis opibus adiutus rerum Atticarum potiretur, ad propositum suum perficiendum prospero eventu usus est. Qui de suggestu ante porticum Attali praetoribus Romanis exstructo in populi concione, quae postridie quam urbem intraverat sua sponte convenerat, Mithridatis potentiam ad coelum oratione extulit civibusque in regis partes iam inclinantibus et Aristionis antea obscuri splendore obstupefactis pronunciavit, Mithridatis victoriis omnes Romanos in Asia minore deletos atque adeo Romanorum potestatem prorsus fractam esse.

Quibus rebus quum populus vehementer delectatus esset, Aristio haec fere locutus est: „Quid ergo vobis consulam?" inquit. „Nempe ne diutius feratis hunc rerum statum, quo sine certo imperio respublica est: qui status ut duraret, effecit Romanus senatus, donec ipse statuisset, quanam reipublicae forma uteremini! Nec vero diutius patiamur clausa templa, squalentia gymnasia, theatrum desertum, muta tribunalia, ademtam populo Pnycem, deorum oraculis consecratam! Ne patiamur amplius, Athenienses, ad silentium redactam sanctam Iacchi vocem et clausam Castoris augustam aedem et mutas scholas philosophorum!"

Haec et alia eiusmodi quum dixisset Aristio, multitudo tumultuarie collatis inter se sermonibus in theatrum concurrit et praetorem ad bellum gerendum, qui tunc temporis summus erat potestate magistratus, illum eligunt.

Progressus in orchestram homuncio gratias egit civibus, his verbis concludens orationem: „Nunc vos ipsi duces estis vestrorum: ego vero praesum. Quem si vestris viribus vos adiuveritis, tantumdem ego potero, quantum vos simul omnes!"[19])

Tum ceteris magistratibus sibi adlectis mox crudelissimum se praebuit tyrannum et permultos, qui optimatium imperio et Romanis aut favebant aut favere putabantur, vin-

18) Athen. V. p. 212 b—f.
19) Athen. V. p. 212 f—213 f.

ciri et occidi iussit. Paucis tantum contigit ut clam Romam in urbem vel Amisum, Atheniensium in Armenia coloniam, confugerent: tyrannus enim quum iam, ad quamque portam triginta locatis satellitibus, urbem intrare aut relinquere nemini permitteret, adeo per praeconem edixit, ut sub solis occasum quisque domi se teneret neque quisquam noctu foras egrederetur. Quare quicunque aut crudele Aristionis imperium amplius ferre noluerunt aut, ne capitis accusati saevissime cruciarentur, vehementer timuerunt, noctu per muros loris sese demittentes profugerunt: qua ratione nonnulli optimatium etiam postea, quum Athenae a Sulla iam obsessae essent, in castra Romana pervenire conati sunt. Quorum vero non ita multi hoc periculo subeundo salutem suam expedierunt: plurimi enim ab Aristionis equitibus capti sunt, qui extra urbem circumiectam regionem peragrabant et semitas reconditas obtinebant, ut profugientes aut illico interficerent aut tormentis saevissimis necandos Athenas retraherent. Bonis autem iuterfectorum et exsulum Aristio potitus est, qui in arce omnium rerum copia abundans impudentissime heluatus est, dum populus, cuius opera summam potestatem impetraverat, commeatus inopia oppressus, parcis tantum frumentationibus a tyranno sublevatus*), viam miseram egit[20].

Brevi postea Aristio, quum Delii quoque templi opibus potiri concupisceret, Apellicontem quendam cum manu misit, qua insulam Deliorum qui ne Atheniensium partes sequerentur, Romano praesidio impediti erant, expugnaret. Qui homo, Teius quidem genere, sed in civium Atheniensium numerum receptus, peripateticorum doctrinae addictus, antea Aristionis in Lyceo socius fuerat, sed ob sacrilegium Athenis commissum ex urbe profugerat: iam vero Athenas reversus ob sectae societatem Aristionis consiliis

---

*) Aristio „χοίνικα κριθῶν εἰς τέσσαρας ἡμέρας διεμέτρει τοῖς ἀνοήτοις Ἀθηναίοις, ἀλεκτορίδων τροφὴν, καὶ οὐκ ἀνθρώπων αὐτοῖς διδούς." Athen. V. p. 214 f.

20) Athen. V. p. 213 e.—214 d.; Plut. Sull. c. 13. 14.; Lucull. c. 19.; Pausan. I. 20, 3. Tunc temporis cum Atheniensium optimatibus Philo academiae princeps Romam profugit cui Cicero totum se tradidit; Cic. Brut. c. 89.

coeptisque suffragatus est. Atque Apellicon quum ad Delum appulsus nulla cura et prudentia usus esset, Orobius, Luculli legatus, praetor Romanus qui Delum custodiebat, improvisos Athenienses aggressus, permultos et trucidavit et cum aedificiis quo confugerant cremavit *), quadringentos autem vivos cepit cunctasque machinas ad oppugnandam urbem paratas igne absumpsit. Apellicon autem clandestina fuga Athenas rediit [21]).

Mox postea vero Delus insula florentissima a Mithridatis copiis Metrophane vel Menophane duce expugnata agrisque saevissime devastatis urbs funditus eversa est: tum et cives et peregrini mercatores caesi, negotiatorum opes direptae, donaria compilata, Deliorum coniuges et liberi sub corona venditi sunt. Ex quo tempore insula, quanquam postea a Romanis recepta et ab his bello finito Atheniensibus reddita est, in posterum adeo inops permansit, ut Pausaniae tempore, templi praesidio quod Athenienses mittebânt excepto, hominibus iam fere orbata esset [22]).

§. 4.

Archelaum haud multum post Delum deletam **) in Graeciam venisse et pugna ad Chaeroneam facta Athenas

---

*) Orobius in memoriam huius victoriae tropaeum et aram erexit et hos versiculos arae inscripsit:

„*Τούςδε θανόντας ἔχει ξείνους τάφος, οἱ περὶ Δῆλον*
Μαρνόμενοι ψυχὰς ὤλεσαν ἐν πελάγει,
Τὴν ἱερὰν τότε νῆσον Ἀθηναῖοι κεράϊζον
Κοινὸν ἄρη βασιλεῖ Καππαδόκων θέμενοι."

Athen. V. p. 215 b.

21) Athen. l. l. p. 214 e. — 215 b.

22) Pausan. III. 23, 2. VIII. 33, 1.; Strabon. X. 5, 4.; pag. 486.

**) Appianus (*Mithrid. c.* 28.) ab iis, quaemodo alios scriptores secutus enarravi, vehementer discrepat: qui Archelaum refert „in Graeciam profectum *et* Delum, quae ab Atheniensibus defecisset, cum aliis oppidis expugnatis *et* pecuniam sacram Deliacam his per Aristionem tradidisse, simulque multa de Mithridatis potentia iactasse. Quibus rebus quum Archelaus Atheniensium animos ad regis partes pellexisset, Aristionem duorum millium militum praesidii ope Athenis tyrannidem sibi arrogasse." At Delios, ut alia minus verisimilia, quae scriptor h. l. exhibet, praetermittam, Romana scilicet classe custoditos tum demum, postquam Athenienses a Romanis desciverunt, ab illis defecisse, maxime est perspicuum. Omnino autem Po-

sese recepisse (*a.* 88 *a. Chr.*), supra vidimus. Quam urbem quum *a.* 87 *a. Chr.* ceteris Graeciae civitatibus recuperatis Sulla integris viribus oppugnaret *), a Romanis hostes fortissime defensarunt: quorum Archelaus Piraeeum et alios portus Mithridatis copiis, Aristio militibus mercenariis Athenas tenuerunt. Sulla vero, etsi obsidione non nimis diuturna urbem non amplius muris longis cum portu iunctam captum iri sperare potuit, tamen quia discordia interna et domestica reipublicae Romanae perturbatio et Cinnani tumultus magnam festinationem ei suaserunt, multis periculis, proeliis, sumptibus bellum quam celerrime ad finem perducere studuit.

Primum igitur ipse Piraeeum, copiarum parte ad obsidendas Athenas relicta, impetu expugnare conatus est. Sed ingentes Piraeei muri et hostium fortitudo quum omnibus conatibus resisterent, machinarum struendarum causa Eleusinem et Megara recedere coactus est. Quamobrem non solum a Thebanis ferri pondus, res oppugnatorias, operasque machinarum struendarum peritas exegit, sed etiam locorum religione plane neglecta sacros lucos Academiae et Lycei caedi iussit, quo materiam sibi compararet. Atque tantum abhorruit a pietate, qua prioribus temporibus duces Romani Graecorum sacra coluerant, ut ad pecunias expediendas deorum templa impudentissime spoliaret. Qui Amphictyones

---

sidonio, qui Athenis eruditus circa illa tempora vixit (cf. Bake ad Posidon. p. 10.), multo maior fides habenda est, quam Appiano scriptori negligentissimo. De Posidonii fide et historiarum libris cf. Heeren de fontt. Plut. p. 142 sqq.

*) Quodsi ea, quae et Appianus et Posidonius, huius belli fere aequalis, de Atheniensium vehementissimo in Romanos odio tradunt, in quo non solum initio belli, sed etiam postea a Sulla iam obsessos, eos perseverasse ipsius belli historia docet, accurate reputaveris, Velleio Paterculo qui (*Hist.* II. 23.) de his rebus fere contraria refert, fidem denegabis. Qui quidem adeo certam Atheniensium erga Romanos fidem fuisse contendit, ut apud hos „Attica fides" in proverbium iverit; „nec nisi oppressos regiis armis eos in partibus Mithridatis stetisse et in miserrima illa conditione, quum ab hostibus tenerentur, oppugnarentur ab amicis, animos extra moenia, corpora necessitati servientes, intra muros habuisse." Quae ad optimates tantum retulerim, si quidem etiam tum nonnullos eorum Athenis in urbe versatos esse probabile est; cf. Tacit. Annal. II. 55.

coëgit, ut Apollinis templi Delphici opes sibi traderent: e quibus quum a Caphide Phocensi, Sullae amicissimo, inter lamentationes et lacrimas Delphorum in castra Romana transportatae essent, eodem modo atque e donariis Aesculapii fano Epidaurio et Iovis templo Olympio ereptis numi percussi sunt, quibus Sulla militibus suis stipendium praeberet [23]).

Praeterea Lucullus, quum iam Sulla Piraeeum iterum summa vi a terra impugnaret, media hieme missus est, qui ex Rhodo, Cyrene, Aegypto et Syria classem arcesseret, quae Mithridatis copiis navalibus par esset cuiusque ope Romani et commeatu Asiatico hostes intercluderent et Piraeeum mari quoque oppugnare possent [24]). Iam vero Sulla auctis viribus ad Piraeei oppugnationem redierat, quem praeter alia vallo et fossa sepire conatus est, longorum murorum reliquiis ad aggeres exstruendos usus [25]). Atque contigit Romano ut non solum duorum servorum proditione adiutus Archelai consilia irrita faceret, sed etiam hunc ducem, qui auxiliis cum Chalcide et ab insulis, tum Dromichaete duce ex Asia missis vehementer corroboratus

---

23) Appian. Mithrid. c. 30. 54.; Plut. Sull. c. 12.; Pausan. I. 20, 3. IX. 7, 4.; Dion. Cass. frgm. nr. 121—123. ed. Reimar. Tum etiam in Peloponneso, Sullae quidem auctoritate, Lucullo vero praeside, maxima pecuniarum vis excusa est. Plut. Lucull. c. 2.

24) Appian. Mithrid. c. 33.; Plut. Lucull. c. 2 sqq.; Ioseph Antiq. Iud. XIV. c. 7. p. 619.

25) Appian. c. 30 sqq.; Vellei. Paterc. II. 23. Longi muri inter Athenas et Piraeeum iam ab Antigono Gonnata, quum octavo post bellum Chremonideum anno praesidium Macedonicum e Museo Atheniensi reduceret (*a.* 255 *a. Chr.*), fracti esse videntur (vid. Droysen, Gesch. d. Hellenismus t. II. p. 222 sqq.); quos belli a Philippo rege cum Romanis gesti tempore „semirutos" fuisse Livius refert, lib. 31, 26.

Muros etiam Sullae tempore dirutos iacuisse, ex ipsa oppugnationis historia clare apparet. Alioquin enim neque ingenti fame (Plut. Sull. c. 12. 13.; Appian. c. 35. 38.) Athenienses premi potuissent neque Archelai victum Athenas ducendi consilium irritum factum esset. Expugnasse vero Sullam antea muros, ex Appiani loco c. 30. colligi non potest; cf. Strabon. IX. 1, 15. p. 396. „Sex igitur et amplius muri", de quibus Florus III. 5, 10. dicit, de „longis muris" non possunt intelligi.

sub ipso Piraeei muro proelium committere ausus erat, quanquam dubio Marte diu pugnatum est, tandem vinceret [26].

Deinde hieme instante (*a.* 87—86 *a. Chr.*) ad Eleusinem castra munivit; unde quominus Archelaus, quocum quotidianis fere proeliis dimicabatur, Athenas gravissima fame oppressas victum ducere posset, servorum illorum proditione certior factus, semper prohibuit. Vere autem ineunte (*a.* 86 *a. Chr.*) quum magnum Mithridatis exercitum, duce Arcathia vel Ariarathe [27]) regis filio, per Macedoniam facili opera captam in Graeciam proficisci cognovisset, Sulla, vehementissimo in Piraeeum impetu ab Archelao iterum propulsato hunc portum iam obsidione tantum cingere, ipsas vero Athenas maxima vi oppugnare constituit. Magna enim Athenarum expugnandarum cupiditate erat incensus, et propter bellicam urbis opportunitatem gloriamque antiquam et conviciis irritatus, quibus Aristio cum sociis et ipsum et Metellam coniugem e muris consectari solebat [28]).

Athenienses vero iam diu Perusina fame pressi quum et castellorum numero et vallo fossaque, qua Sulla urbem circumdederat [29]), omni commeatu prorsus interclusi essent, ad extremam miseriam pervenerunt et fame emoriebantur. Qui homines miserrimi, tritici, cuius tum medimnum mille drachmarum pretio vendiderunt et aliorum alimentorum penuria coacti, res teterrimas ac foedissimas, ne carne humana quidem excepta, famis explendae causa comedebant. Nihilosecius Aristio, tyrannus aeque saevus ac impotens, dum populus ab ipso ad extremam calamitatem perductus fame periit, in arce cum sociis in omnium civium conspectu comissatus est, securus de sacra lucerna in templo Minervae Poliadis, quae oleo deficiente exstincta erat [30]). Qui non solum hostes, sed etiam cives famelicos irrisit atque adeo senatum et sacerdotes, qui eum adierunt, ut de urbe dedenda cum Sulla ageret, sagittis telisque dispulit [31]).

---

26) Appian. c. 31. 32.
27) Appian. Mithrid. c. 17. 18. 35.; Plut. Sull. c. 11.
28) Appian. c. 33—37.; Plut. c. 2. 6. 13.; Dion. Cass. fragm. nr. 124. ed. Reimar.
29) Appian. c. 35. 38.
30) Plut. Sull. c. 13.; Numa c. 9.; Dion. Cass. l. l. nr. 124.
31) Appian. c. 38.; Plut. Sull. c. 13.; Dion. Cass. l. c.

Tandem inopia in dies aucta impensissimis civium precibus permotus est, ut compotorum suorum nonnullos ad Sullam legatos mitteret; quos Romanus, quum non tam supplices aequas conditiones proponerent, quam mythicam Athenarum gloriam et antiqua urbis merita praedicarent, irridens remisit [32]).

Postremo quum Sulla casu quodam cognovisset, locum aliquem moenium inter sacram et Piraeam portas prope Heptachalcum non satis munitum neque custoditum esse, noctu urbem vi adortus in muros evasit. Quorum parte diruta media nocte militibus victoriam conclamantibus ac tubis accinentibus cum toto exercitu urbem invasit, quam cives viribus fame debilitatis aegre defenderunt. Tum vero crudelissima Atheniensium caedes facta est, quum Sullae iussu milites superatis hostibus plane non parcerent et quemque obvium interficerent, ut pauci tantum civium in arcem confugerent et vitam suam servarent. Caesorum multitudo quanta fuisset, quum nunquam accurate perspici posset, Plutarcho teste ad sanguinis rivos aestimata est, qui forum maxime et Ceramicum interiorem eamque urbis partem, quae inter hos locos et Dipylum aliasque portas sita fuit, inundaverunt. Permulti civium, qui aut extremae patriae cladi superesse nollent aut de venia Sullae desperarent, ipsi mortem sibi consciverunt: nonnulli autem Delphos confugisse dicuntur [33]).

Tandem Sulla et precibus optimatium Atticorum nonnullorum, qui tum exsules in castris Romanis versabantur, ut Midiae et Calliphontis, senatorumque Romanorum commotus et ipse caede fessus stragis finem fecit et reliquorum civium vitam concessit. Urbem vero militibus diripien-

32) Plut. Sull. c. 13.: „Ἄπιτε (εἶπεν) ὦ μακάριοι, τοὺς λόγους τούτους ἀναλαβόντες· ἐγὼ γὰρ οὐ φιλομαθήσων εἰς Ἀθήνας ὑπὸ Ῥωμαίων ἐπέμφθην, ἀλλὰ τοὺς ἀφισταμένους καταστρεψόμενος."

33) Plut. Sull. c. 14.; Appian. Mithrid. c. 38.; Pausan. I. 20, 3. 4. Pausanias h. l. narrat, Athenienses a Sulla in Ceramico decimatos esse; sed in iis, quae de Athenis expugnatis tradit, omnino nullam fidem meretur. Ita dicit, Sullam tertio die post pugnam Chaeronensem cum Taxilo pugnatam nuntium de urbe eodem die capta accepisse: quod aperte cum Appiani, tum Plutarchi auctoritate refutatur, qui non solum optimis eius aetatis scriptoribus, sed etiam ipsius Sullae commentariis usus erat; cf. Heeren de fontibus Plut. p. 150.

dam permissit, quanquam ne ea deleretur vetuit *): magni quid fecisse arbitratus, quod clarissimae urbis gloria antiqua respecta non funditus illam evertisset [34]). Ceterum Athenas Calendis Martiis anni 86 *a. Chr.* captas esse, ex ipsius Sullae commentariis Plutarchus refert [35]).

Expugnata urbe Aristio in arcem sese recepit, postquam antea Odeum Periclis in montis radicibus situm incendit, ne Sulla inde materiam ad arcem oppugnandam desumere posset [36]): sed paucis diebus post Curioni, quem Sulla ad obsidendam arcem reliquerat, aquae inopia coactus se tradidit [37]). Quem Sulla cum satellitibus iisque qui aut sub eo magistratum gesserant aut aliquo modo instituta ac leges a Romanis post foederis Achaici interitum datas laeserant, Appiano et Pausania quidem testibus, statim interfecit, Plutarcho vero et Dioni Cassio si credimus, pace demum cum Archelao facta (*a.* 85 *a. Chr.*) huius in gratiam veneno necavit [38]).

Sulla postridie quam Athenas expugnavit, servos sub corona vendidit; dein legibus, quae prius a Romanis instituta fere aequabant, civitati constitutis paucis ingenuis, qui caedem effugerant, libertatem concessit, quanquam defectione sua peiorem conditionem meruisse videri poterant. Libertatem tamen et autonomiam Sulla ita tantum reddidit, ut ipsi, qui seditionis participes fuissent, suffragii iure pri-

---

*) Quodsi Pausanias I. 20, 3. contendit, Sullam aedificium quoddam prope Bacchi templum theatrumque situm incendisse, id errore ductus scripsisse videtur; qui fortasse Odeum ab Aristione deletum spectaverit.

34) Appian. Mithrid. c. 38.; Plut. Sull. c. 14.: „*ἐγκώμιόν τι τῶν παλαιῶν Ἀθηναίων ἐπειπὼν, ἔφη χαρίζεσθαι πολλοὺς μὲν ὀλίγοις, ζῶντας δὲ τεθνηκόσιν.*" Dion. Cass. Exc. ad Mai. II. p. 540.; Plut. Apophthegm. (Syllae) Moral. Vol. I. p. 202 e.; cf. Flor. III. 5, 10. „postquam domuerat ingratissimos; hominum, ut ipse dixit, in honorem tamen mortuorum, sacris suis famaeque donavit.".

35) Plut. Sull. c. 14. De temporum ordine cf. Ahrens. p. 7. 8.

36) Appian. c. 38.

37) Appian c. 39.; Plut. Sull. c. 14.

38) Appian. c. 39.; Pausan. I. 20, 4.; Plut. Sull. c. 23.; Dion. Cass. fragm. nr. 173. ed. Reim. Pausanias Aristionem Sullae iussu e templo Minervae protractum et interfectum, Romanum eamobrem postero tempore a Iove „Hicesio" phthiriasi affectum esse narrat; cf. Pausan. IX. 33, 4.

varentur et posteri demum eorum hoc reciperent [39]). Quare Boeckhius non sine iure coniecit, non solum maiores magistratus omnes, dum popularia suffragia abolita erant, „ἀριστίνδην" eosque, quod facile intelligitur, quum tota respublica non nisi ab optimatibus penderet, e paucis tantum optimatium gentibus electos, verum etiam ob miserrimam conditionem exhaustae civitatis numerum eorum imminutum esse [40]). Omnino autem his quoque temporibus Athenienses libertatem suam servarunt [41]), qua etiam postea per totum, de quo nobis dicendum est, temporis spatium usi sunt.

Gravius autem vulnus idque insanabile Athenarum saluti Sulla Piraeeo deleto inflixit. Qui exercitu post crudelem Atheniensium caedem ex capta urbe deducto Piraeeum denuo vehementissimo impetu aggressus, Archelaum, quanquam fortissime resistentem et uno muro capto novum semper obiicientem, eo tandem compulit, ut in munitissimam Piraeei partem undique mari circumfusam vel si Plutarcho credimus, Munychiam sese reciperet: quem locum Sulla, quum classem nondum haberet, oppugnare non potuit [42]). Piraeeum autem Sulla incendio plane delevit: cui armamentario clarissimo, quod Philo exstruxerat, cremato splendidissimum decus, munimentis vero et navalibus eversis militarem gravitatem fere prorsus ademit [43]). Strabonis enim aetate Munychiae Piraeeique non nisi exiguus vicus supererat, qui modo apud portus aedemque Iovis Servatoris habitabatur [44]).

39) Appian. Mithrid. c. 38. 39.; Plut. Comp. Lys. cum Sulla. c. 5.; Liv. epit. lib. 81.; Strab. IX. 1, 20. p. 398 b.

40) Cf. Boeckh. C. I. vol. I. pag. 337. Neque vero dissimulaverim, nuperrime cognitum esse, quinque inscriptiones, de quibus hîc sermo est (nr. 202—206.), non ad Piraeeum, ut primum censuerunt, sed ad Tenum insulam pertinere; cf. Hermann l. c. §. 176. not. 11. Quare Boeckhius (C. I. vol. II. p. 250.) ea, quae de nonnullis magistratibus semestribus proximo post Sullanam cladem tempore Atheniensium in republica institutis ex illis inscriptionibus collegerat, ipse revocavit; cf. Ahrens. pag. 50—53.

41) cf. Cic. in Pison. c. 16.

42) Appian. Mithrid. c. 40.; Plut. Sull. c. 14. 15.; Flor. III. 5, 10.; Vellei. Paterc. II. 23.; Gell. N. A. XV. 1.

43) Plut. l. l. c. 14.; Appian. c. 41. De Philone eiusque armamentario cf. Cic. de orat. I. 14.; Plin. h. n. VII. 37.; Vitruv. VII. praef.

44) Strabon. IX. 1, 15. pag. 396.; Lucan. Pharsal. III. 181.

§. 5.

His rebus gestis Sulla frumenti inopia et commeatus difficultate coactus ex Attica in Boeotiam se convertere, in Phocide manum Romanam excepit, quam Hortensius praetor a Caphide locorum Graecorum peritissimo adiutus per Thessaliam eo deduxerat. Eodem fere tempore Archelaus, relicta Munychia per Boeotiam Thermopylas profectus, reliquias exercitus, quem ipse in Graeciam duxerat cuiusque pars Neoptolemo duce hieme *a.* 87—86 *a. Chr.* a Munatio, Sullae legato, ad Chalcidem urbem devicta erat [45]), et milites Dromichaetis recentibus illis copiis coniunxit, quibus Ariarathe in itinere mortuo [46]) Taxiles praefuit [47]). Thermopylis Archelaus cum ingenti exercitu, qui Romanae manus, quamvis Graecorum et Macedonum copiis auxiliaribus auctae, triplicem numerum aequabat, in Phocidem irrupit, mox autem, ne milites commeatus penuria premerentur, Chalcidem versus recessit, circumiectos agros urbesque, ut Panopeum et Lebadeam cum Trophonii sacro saevissime depopulatus. Quem insecutus Sulla, postquam levibus proeliis nonnunquam pugnatum erat, tandem Chaeronensium ope vehementer adiutus hostem coëgit, ut in loco iniquissimo, inter Edylium et Acontium montes, prope Chaeroneam urbem pugnam iniret. Quo in proelio tantam cladem accepit Archelaus, ut modo decem millibus militum stipatus Chalcidem confugeret atque Euripus solum interiectus Sullae acriter insistenti impedimento esset, ne hostes ad internecionem deleret [48]). — Quae victoria clarissima ut concelebraretur, Sulla Thebis ludos edidit, quibus ceterarum civitatum Graecarum legati ut certaminis iudices interfuerunt. Contra Thebae ipsae, quae ante omnes alias urbes implacabilem Sullae iram in se concitaverant, dimidia agri sui parte privatae sunt; quam Romanus, ut sacrilegii ab ipso perpe-

45) Appian. c. 34.
46) Appian. c. 35.
47) Appian. c. 41; Plut. Sull. c. 15.
48) Appian. Mithrid. c. 41—45.; Plut. Sull. c. 16—19. Quae Sulla de exiguo Romanorum hac in pugna caesorum numero insolenter iactaverit, vid. Appian. c. 45.; Eutrop. V. 6.; Plut. l. l. c. 19. De tropaeis duobus ab illo in agro Chaeronensium erectis cf. Plut. l. c.; Pausan. IX. 40, 4.

trati infamiam redimeret, deorum templis Olympiae, Epidauri Delphisque adiudicavit [49]). Ex quo tempore Thebani, quanquam Romanorum liberalitate agros ereptos brevi postea receperunt, ad summam reducti sunt imbecillitatem. Pausaniae quidem aetate urbs inferior tota deorum sacris exceptis deserta iacebat et arx, cui iam non Cadmeae, sed Thebis nomen erat, sola habitabatur [50]).

Quo facto Sulla ex Boeotia in Thessaliam decessit, ut L. Valerium Flaccum, qui a Cinna eiusque partibus, domesticis Sullae adversariis, consul creatus ex Italia Dyrrachium transierat, nomine quidem Mithridatem, si rem ad vivum resecamus Sullam aggressurus, a Graeciae finibus arceret. Neque vero Sulla cum Romano exercitu signa contulit; qui vixdum Melitaeam Phthiotidis urbem usque venerat, quum propioris periculi nuncio in Boeotiam redire coactus est. Archelaus enim, qui dum haec Sulla gessit, cum iis quae copiarum suarum restabant, quum Romani quippe classe carentes ei obstare non possent, e Chalcide Graecas insulas et urbes maritimas depopulatus et ipsam Zacynthum quamvis fustra aggressus erat [51]), initio anni 85 *a. Chr.* recentem Mithridatis exercitum octoginta millium militum Dorylao duce accepit. Itaque Chalcide iterum in Boeotiam irruptionem fecit et, leviore proelio ad Tilphosium facto, in campo Orchomenio summis cum Sulla copiis contendit. Qua pugna postquam diu dubio Marte pugnatum erat [52]) dux Romanorum hostes prorsus fudit et fugavit. Tum postero die etiam castris barbarorum expugnatis plurimi hostium aut in paludibus lacubusque ad Orchomenum sitis perierunt aut a Romanis gladio trucidati sunt. Archelao ipsi vix contigit ut evaderet et Chalcidem confugeret, ubi copiarum suarum reliquias cogere studuit [53]).

Hostibus autem certamine illo ad internecionem fere deletis Sulla Boeotiam peragravit, urbes depopulatus, quae

---

49) Plut. l. l. c. 19.; Pausan. IX. 7, 4. 33, 4.; Appian. c. 54.
50) Strabon. IX. 2, 5. p. 403; Paus. IX. 7, 4.; cf. VIII. 33, 1.
51) Plut. Sull. c. 20.; Appian. Mithr. c. 45.
52) Appian. Mithrid. c. 49.; Plut. Sull. c. 21.; Polyaen. VII, 9.; Dion. Cass. exc. ap. Mai. II. p. 549.
53) Appian. c. 49. 50.; Plut. l. l. c. 20. 21.

his temporibus aut libero arbitrio aut regiis armis coactae Mithridatis partes secutae erant [54]. Quarum Larymna, Anthedon et Alaea fere dirutae sunt [55], Orchomenus vero et crudelissime devastatus et plane spoliatus ad infimam imbecillitatem detrusus est. Quos quidem thesauros Orchomeniis Sulla eripuerat, ex iis pulcherrimum Liberi Patris simulacrum, quod e clarissimis Myronis fuit operibus, in Helicone monte collocavit [56]. Quibus rebus gestis in Thessaliam profectus est, ubi in hibernis legiones collocavit *a.* 85—84 *a. Chr.* [57]. Deinde anno 84 *a. Chr.* Sulla, quum iam sub finem anni 85 *a. Chr.* Archelaus iussu Mithridatis regis et cladibus Boeotiis perterriti et a Fimbria, qui Valerio Flacco interfecto exercitui Romano a Cinna contra Mithridatem misso praefuit, in ipsa Asia vehementer vexati pacis conditiones postulavisset, in Asiam profectus cum ipso rege pacem fecit. Quo facto Fimbriae quoque exercitum ad se perduxit et Asiae rebus summa severitate *ordinatis* Epheso Athenas rediit. Iam vero podagra coactus, ut thermis Aedepsi Euboicae urbis uteretur, diutius in Graecia moratus est; pace vero aeque ac bello Graecorum hostis tum quoque nonnullis thesauris hanc terram privavit. Qui quidem, ut captis Athenis ex Opisthodomo Parthenonis auri quadraginta argentique sexcenta talenta [58] et post pugnam Orchomeniam e templo Minervae prope Alalcomenas sito eburneum deae signum desumpserat [59], ita tum *et ipse* Atheniensibus, quanquam mysteriis Eleusiniis initiatus est, nonnullas columnas in perficiendum Iovis Olympici fanum sepositas eripuit, quibus Iovis Capitolini templum Romanum ornaret, *et* sacrilegi ducis amici dona e Iovis Liberatoris porticu abstulerunt [60]. Praeterea etiam Sulla Apellicontis illius Teii „φιλοβίβλου μᾶλλον ἢ φιλοσόφου" bibliothecam cum omnino autographis veterum, plebiscitis, senatuscon-

54) Appian. c. 51.
55) Plut. l. l. c. 26.
56) Pausan. IX. 33, 4. VIII. 33, 1.; cf. IX, 30, 1.
57) Appian. Mithrid. c. 51.
58) Appian. c. 39.
59) Pausan. IX. 33, 4.
60) Plut. Sull. c. 26.; Plin. h. n. 36, 5.; Pausan. X. 21, 3.

sultis et Athenarum et aliarum civitatum, tum Aristotelis, Theophrasti aliorumque peripateticorum operibus ditissimam sibi sumpsit et Romam abduxit [61]).

Tandem Sulla e Graecia exhausta decessit et per Thessaliam et Macedoniam Dyrrachium profectus Brundusium traiecit (*a.* 83 *a. Chr.*), ut domesticos quoque adversarios oppugnaret atque deleret [62]). Qua in expeditione Macedonum et Graecorum, maxime Peloponnesiorum, cohortes auxiliares eum secutae esse dicuntur [63]).

---

61) Plut. Sull. c. 26.; Athen. V. p. 214. e.; Strabon. XIII. 1, 54. p. 609.; cf. Brandis. Rhein. Mus. I. (1827) p. 236.

62) Plut. Sull. c. 27.

63) Appian. bell. civ. I. 79. Si huic scriptori fides habenda est, Sulla Athenis non Dyrrachium, sed Patras et inde Brundusium tetendit.

CAPUT III.

A. a. Chr. 83—27.

§. 1.

Quum proxima aetate non solum Graeci belli Mithridatici calamitatibus, quibus tam regis duces, quam Romani defectione illorum exacerbati eos affecerant, exhausti nihil fere memoratu digni gesserint, sed etiam Romani partium domesticarum certaminibus toti dediti essent, non est quod miremur, de rebus Graecorum quales inde a primo bello Mithridatico usque ad Romanorum bella civilia fuerint perpauca tantum nobis tradita esse. Conditionem Graeciae Mithridatis copiis expulsis miserrimam fuisse populumque malis bello atrocissimo exortis diu laborasse, et per se manifestum est et ex scriptorum testimoniis supra allatis apparet. Atque si Peloponnesum excipias, quae hoc bello graviora non videtur perpessa esse, paucae modo civitates vel suis viribus et situs opportunitate vel Romanorum gratia et regum Asiaticorum liberalitate pristinum florem iterum assecutae sunt. Quarum Elatea Phocidis urbs quum ad Mithridatem non defecisset et barbarorum obsidionem fortiter sustinuisset, a Romanis libertate et immunitate donata est[1]); qui Abaeis quoque, Apollinis oraculi veneratione inducti, iam tum libertatem concessisse videntur [2]). Contra Boeotia, quae ut antea plerumque, ita in hoc bello arena Martis fuerat, fere deserta iacuit: et tantum abfuit ut haec terra recrearetur, ut Strabonis aetate non nisi Thespiae et Tana-

1) Pausan. X. 34, 2.
2) Pausan. l. l. 35, 2.

gra urbes dignae essent, quae commemorarentur [3]). Porro Athenae belli calamitatibus vehementissime turbatae [4]) iam nulla alia re insignes fuerunt, nisi maiorum gloria et philosophorum scholis. Quae pace restituta urbi egentissimae magnam utilitatem praebuerunt: quarum fama praeter multos alios iuvenes Romanos, qui ad litterarum studium Athenas se contulerunt, inprimis T. Pomponius vir divitiis aeque ac generoso animo praestans, qui iam *a.* 88 *a. Chr.* domesticis tumultibus perterritus cum opibus suis Athenas confugerat, permotus est, ut post cladem Sullanam per totam fere vitam hac in urbe versaretur; unde notissimum illud „Attici" cognomen accepit. Qui quum saepissime magnam Atheniensium inopiam publicam levaret, egregie de urbe meritus est. Nam et pecunia mutua sine usuris credita rempublicam adjuvit et universos cives saepius frumento donavit: quare ab Atheniensibus non solum in omni procuratione reipublicae auctor et actor, sed etiam summis honoribus habitus est. Civitatem vero Atticam sibi oblatam, Zenonis et Cleanthis stoicorum exemplum secutus [5]), ut civis Romanus accipere noluit [6]).

Contra pessimam sui memoriam infamis ille Verres reliquit, qui quum *a.* 80 *a. Chr.* legatus cum Cn. Dolabella proconsule in Ciliciam, provinciam eius, iter faceret, Graeciam peragrans non solum Sicyone pecunias exegit et Delium Apollinis fanum spoliavit, sed etiam Athenis una cum proconsule illo avarissimo e Parthenone Minervae aede grande auri pondus abstulit [7]). Propter haec multaque alia

---

3) Strabon. IX. 2, 5. p. 403.; cf. Dion. Chrysostom. VII. pag. 123 b. Mor.; cf. pag. 263. fin. R.

4) De misera urbis hoc tempore conditione cf. Corn. Nep. vit. Attic. c. 2.

5) Plutarch. de stoicor. repugnant. c. 4. Mor. Vol. II. pag. 1034 a.

6) Corn. Nep. Attic. c. 2 sqq. Atticus iam ante conflatum bellum Mithridaticum, tumultibus a Sulpicio et Cinna motis perterritus, Athenas profectus et inter obsidionem urbis in castris Romanis fuisse videtur; deinde Sulla postquam ex Asia rediit adolescentem summa gratia affecit; Nep. l. l. c. 4.

7) Cic. Act. in Verrem. II. lib. I. c. 17.

scelera, quae perpetraverat, nequissimus homo postea in ius vocatus est a M. Tullio Cicerone: qui quippe cum Attico intima amicitia coniunctus et Antiochi Ascalonitae, qui tum recentiori Academiae praefuit, fama allectus iam proximo anno (79 *a. Chr.*), quum ad Sullae invidiam evitandam Roma decessisset, Athenas se contulit. Atque Cicero, tum sex menses Athenis moratus [8]) et Attici exemplo Eleusiniis mysteriis initiatus [9]), quo studio antiquae gloriae Athenarum litterisque Graecis omni tempore vehementer favebat, non solum rhetorum et philosophorum maximam gratiam, sed etiam plurimam apud Areopagum auctoritatem assecutus est [10]).

§. 2.

Haud multum vero post bellum Mithridaticum primum accidit ut Graecia ob situm praedonibus opportunissima, a piratis Asiaticis valde turbaretur. Qui quum iam prioribus temporibus orientalem maris mediterranei partem latrociniis ac praedationibus infestavissent, tum et foedere cum Mithridate facto et quod bello confecto non solum regiae classis reliquiae, sed etiam permulti homines vel ad inopiam reducti vel ambitiosi, nobili loco nati, iis se applicuerunt, summas opes consecuti civitatibus maritimis multum periculi intulerunt. Iam ubi Sulla nulla rei piraticae ratione habita ex Asia decessit (*a.* 84 *a. Chr.*), praedones Iassum, Samum, Clazomenas et Samothracen urbes insulasque spoliaverunt et occupaverunt. Deinde quum neque Romani domesticis tumultibus impliciti neque Graecae civitates maritimae insulaeque bello exhaustae mare Graecum classe obtinerent, piratae nullo resistente totum mare internum usque ad fretum Gaditanum navibus suis constravere. Nec solum ingenti multitudine portuum, oppidorum, praesidiorum potiti classibus suis splendidissime exstructis summos duces prae-

---

8) Plut. Cic. c. 3. 4.; Gell. N. A. XV. 27.
9) Cic. de legg. II. 14.
10) cf. Cic. ad Att. V. 11.; ad Fam. XIII. 1.; de divinat. I. 3.; Plut. Cic. c. 24.

posuerunt, quorum Isodorus nominatim commemoratur, sed omnino res suas tanquam rempublicam certis legibus constitutam instituerunt atque administraverunt. Quorum firmissima arx, ut ita dicam, praeter Cretam insulam Cilicia fuit, cuius incolae latrociniis assueti omnium primi piraticam fecisse videntur.

Omnium autem terrarum Graecia longe maxime ab illis vexata est: qui Piraeeum aggressi, oras Laconicas, templum Proserpinae Hermionam ad urbem, Aesculapii fanum Epidauri, sacra Neptuni in Isthmo, in Taenaro promontorio et in Calauria insula, Apollinis in Actio promontorio et Leucade in insula, Iunonis Argis in urbe, sita devastarunt et expilarunt [11]). Tandem quum Romanis quoque, commercii negotiis turbatis, Italia commeatu interclusa, oris Italiae spoliatis, nobilibus civibus captis, summum detrimentum inferrent, Romani copias contra praedones miserunt. Sed tantum abfuit ut expeditionibus, quibus Murena (81 *a. Chr.*), P. Servilius Vatia Isauricus (78—75 *a. Chr.*) et M. Antonius (74 *a. Chr.*) praefuerunt, piratarum opes frangerentur, ut insolentia eorum in dies accresceret [12]). Nec prius respublica hac peste liberata est, quam A. Gabinio tribuno plebis rogante senatus populusque Romanus Cn. Pompeio Magno ad opprimendos piratas summam potestatem de omnibus maribus orisque detulisset 67 *a. Chr.* [13]).

Cn. Pompeius vero, ut erat rei militaris peritissimus, praecipue legatis in omnes maris interni partes eodem tempore missis hostes quam celerrime debellavit. Quorum legatorum Plotius Varus et Terentius Varro mare Ionium atque Acarnaniam, L. Cornelius Sisenna Peloponnesum, Atticam, Euboeam, Boeotiam, Thessaliam et Macedoniam, denique L. Lollius mare Aegaeum cum Hellesponto insulisque a piratis defenderunt [14]). Pompeius ipse hostium copiis,

---

11) Appian. Mithrid. c. 63. 92 sqq.; Plut. Pompei. c. 24.; Flor. III. 6.; Cic. pro leg. Manil. c. 11. 12. 18.; Dion. Cass. 36, 3—5.

12) Appian. c. 93.; Plut. Pomp. c. 24 sqq.

13) Vellei. Paterc. II. 31.; Dion. Cass. 36, 6—20.; Plut. l. l. c. 25. 26.; Appian. c. 94.

14) Appian. c. 95.; cf. Dion. Cass. 36, 1.

quae occidentalem maris interni partem tenebant, deletis Athenas venit, unde mox ad Asiaticos praedones facili opera devincendos profectus est. Qui navibus armisque privati a Pompeio in nonnullos terrae continentis locos coloni deducti sunt: qua occasione oblata Dyme quoque Achaiae urbs cum regione, quae tum deserta iacuit, piratarum Ciliciorum coloniae ad colendum permissa est [15]).

Athenienses, qui Pompeium contra piratas proficiscentem summa adulatione coluissent [16]), ab hoc duce, quum bello Mithridatico confecto victor Athenas revertisset (*a.* 63—62 *a. Chr.*), quinquaginta talentis e praeda Mithridatica donati sunt, quibus urbem ornarent ac praecipue aedificia clade Sullana deleta restituerent *): nec minus Pompeius philosophos Athenienses honoribus donisque liberalissime habuit atque ditavit [17]).

Simili modo tum regum quoque Asiaticorum nonnulli antiqua urbis gloria et philosophorum fama capti liberalitate sua egregie de urbe meriti sunt. Quorum Ariobarzanes Philopator rex Cappadociae (*a.* 60 *a. Chr.*) Herode archonte [18a]) Odeum Periclis ab Aristione incensum restaurare inchoavit eoque (*a.* 59 *a. Chr.*) mortuo Ariobarzanes Philoromaeus filius opus perfecit [18b]). Cuius beneficii memoriam Athenienses statuis in honorem illorum erectis servarunt. Contra nonnullis annis post L. Calpurnius Piso Macedoniae

---

15) Appian. Mithrid. c. 96.; Plut. Pomp. c. 28.; Strab. VIII. 7, 5. p. 388.; cf. Pausan. VII. 17.

16) Athenienses portae, quam Pompeius contra piratas proficiscens transmeavit, versus nonnullos inscripserant, quibus deorum in numero relatus est. In interiore enim portae latere haec verba legebantur: „Ἐφ' ὅσον ὢν ἄνθρωπος οἶδας, ἐπὶ τοσοῦτον εἶ θεός", exteriori autem: „Προςεδοκῶμεν, προςεκονοῦμεν, εἴδομεν, προπέμπομεν," inscriptum erat. Plut. Pomp. c. 27.

*) Hac pecunia non nisi aedificia neque vero moenia diruta neque alia munimenta restituta esse, clare elucet e Zosim. Hist. I. 29.; Zonar. Ann. XII. 23. ed. Par. I. p. 629.

17) Plut. Pomp. c. 42.

18a) Diod. Sic. I. 4. De hoc viro vid. Plut. Cic. c. 24.

18b) Vitruv. Archit. V. 9. 1.; Valer. Max. V. 7.; Boeckh. C. I. vol. I. p. 429 sqq. nr. 357. 358.

proconsul (*a.* 56 *a. Chr.*) et liberas sociasque Athenas et universam Graeciam pecunia exigenda aliisque eiusmodi iniuriis misere laceravit, quapropter Cicero in notissima illa oratione, quam contra Pisonem habuit, eum gravissime increpuit [19]).

§. 3.

Deinde bellorum civilium aetate Graeci omnino multa mala perpessi sunt, quum in Graecia potissimum finitumisque regionibus Romanorum partes de imperio certarent et, ut horum bellorum natura ferebat, Graecis semper timendum esset, ne a victore, quaecunque castra sequerentur, proditionis poena affligerentur. Nihilominus autem illo ipso tempore conditione non plane iniqua usi sunt, quum victores ut Caesar, Antonius et Octavianus, qui quidem alios populos propter victarum partium studium severis poenis afficere solebant, antiqua Graecorum gloria capti et artium litterarumque patriae studiosissimi sibi temperarent, quominus Sullae exemplo in Graecos gravius consulerent [20a]). Inprimis Athenae, etsi victas semper partes secutae erant, tanquam forum honestissimarum artium litterarumque [20b]) et fons iuris, legum atque urbanitatis [20c]) a victoribus semper liberalissime habitae sunt.

In bello inter Caesarem et Pompeium gesto plerique Graecorum ab huius partibus steterunt. Praecipue Athenienses, quanquam ab utraque parte, si Appiano credendum est, edicto cautum erat, ne illi „ὡς ἱερεῖς τῶν θεσμοφόρων" belli calamitatibus laederentur [21]), Pompeii beneficiis devincti eius partes contra Caesarem acerrime secuti

---

19) Cic. in Pison. c. 40. Contra ea quae Ioann. Sarisberiens. Policrat. VI. 12. p. 356. de iniuria quadam Magno Gaio „maiori Atheniensium" a M. Crasso *a.* 55 *a. Chr.* affecta exhibet (cf. Corsini Fast. Att. II. p. 103 sqq.; IV. 120 sqq.), fabularum in numero habenda esse clare demonstravit Ellissen. p. 22. nr. 3.

20a) Dion. Cass. 42, 14.; Appian. bell. civ. II. 88.

20b) Cic. de offic. I, 1.

20c) Cic. pro Flacc. c. 26.; de Orat. I. 4, 13.

21) Appian. bell. civ. II. 70.

sunt. Qui Pompeio non solum terrestres copias auxilio miserunt, sed etiam classem suam exiguam — trium navium, Lucano teste, — praebuerunt[22]). Quae naves classi Pompeii adscriptae sunt, ad quam comparandam (*a.* 49 *a. Chr.*) praeter Asiaticas terras Cyclades insulae, Corcyra et Achaia numerum suum navium illo iubente contulerunt; atque Graecis et Liburnicis navibus Scribonium Libonem et M. Octavium praefecit Pompeius[23]). Deinde ad exercitum suum exornandum atque alendum Achaiae magnam pecuniam imperavit et maximam vim frumenti ex Thessalia sibi comparavit[24]). Denique in pugna Pharsalica (*a.* 48 *a. Chr.*) Pompeius Lacedaemoniorum, Achaeorum, Boeotorum et Atheniensium copiis adiutus est, quae aut antea supplementi nomine in legiones distributae erant aut propter peritiam suam rei militaris peculiaribus turmis prope milites Italicos collocatae sunt[25]). Accessit quod Pompeius copiis, quas et ipse in Epiro coëgerat et Caesari si credimus, Hegesaretus Thessalorum qui Pompeianis rebus studebant princeps illi collegerat, vires suas auxerat[26]). Contra Caesaris castra quum anno 48 *a. Chr.* in Graeciam trajecisset Thes-

---

22) Lucan. Pharsal. III. 181 sqq.:

„Exhausit totas quamvis delectus Athenas,
Exiguae Phoebea tenent navalia puppes,
Tresque petunt veram credi Salamina carinae."

23) Caes. bell. civ. III. 3. 5.

24) Caes. l. l. III. 3. 5.

25) Caes. III. 4.; Appian. l. l. II. 70. 75. Appianus (*c.* 70) narrat, Lacedaemonios „*ὑπὸ τοῖς ἰδίοις βασιλεῦσι ταττομένους*" ad Pompeium profectos esse: hoc sine dubio errore ductus. Nam *et* inde a Nabidis tempore vel ex quo Philopoemen antiqua Spartanorum instituta sustulerat, *reges* Lacedaemoniorum non amplius commemorantur *et* Pausanias (II. 9, 3.) Lacedaemonios Cleomene mortuo non invitos sane liberatos regium imperium abdicasse, reliquam tamen reipublicae formam, quae tum constituta fuisset, in suum usque tempus permansisse refert. Romanos autem quanquam instaurata Lycurgi instituta (cf. Plut. Philopoem. c. 16.) non mutavisse videntur, tamen regium imperium restituisse nusquam legitur. Vid. infra Part. alt. c. I, §. 3.

26) Caes. b. c. III. 4. 35.

salorum ii, qui Preteo summae nobilitatis adolescenti, quem suis ac suorum opibus Caesarem enixe iuvisse ipse Caesar refert, addicti erant, Acarnanes, Aetoli, Locri Dolopesque secuti sunt: quorum copiae Caesaris exercitui adjunctae pugnae Pharsalicae interfuerunt[27]. Iam vero ante hanc pugnam Caesar Cassium Longinum, Q. Calvisium Sabinum et Q. Fufium Calenum legatos cum quindecim cohortibus ex Aetolia misit, qui Achaiam occuparent. Atque Calenus, Delphis, Thebis et Orchomeno voluntate ipsarum civitatum receptis, nonnullis aliis urbibus per vim expugnatis, quum a Rutilio Lupo, qui missus a Pompeio Achaiam obtinebat, munimentis operibusque impediretur, ne Isthmum transiret, Megara Athenasque se convertit. Qui Atticum agrum saevissime depopulatus Piraeeum quidem moenibus non amplius munitum cepit, sed ipsam Athenarum urbem fortissime defensam expugnare non potuit[28].

Victo Pompeio statim sua sponte Athenienses in ditionem Caesaris sese tradiderunt, qui civibus supplicibus propter maiorum gloriam veniam dedit, his fere verbis eos castigasse contentus: „Quoties tandem, insani, speratis fore ut vos, qui ad interitum ruitis, maiorum gloria a pernicie vindicatura sit?"[29] Quin etiam, ut summa mansuetudine fuit, civitatem magna pecunia donavit, ex qua postea ab Augusto aucta Minervae Archegetidis porticus aedificata est[30]. Dum Caesar Athenas liberalissime habet et Thessalos, quorum partem ei auxilio fuisse supra vidimus, libertate donat[31], exigua Megara acerbo casu concussa sunt.

---

27) Caesar. b. c. III. 34. 35.; Dion. Cass. 41, 51.; Appian. b. civ. II. 70.

28) Caes. III. 55.; Plut. Caes. c. 43.; Dion. Cass. 42, 14.; Cic. ad Att. VIII. 12. A. 4.

29) Appian. II. 88.; Dion. Cass. 42, 14.

30) cf. Boeckh. C. I. v. I. p. 468. nr. 477.; „ὁ δῆμος ἀπὸ τῶν δοθεισῶν δωρεῶν ὑπὸ Γαΐου Ἰουλίου Καίσαρος θεοῦ καὶ Αὐτοκράτορος Καίσαρος θεοῦ υἱοῦ Σεβαστοῦ Ἀθηνᾷ ἀρχηγέτι(δ)ι." cf. nr. 312.; Leake Topogr. p. 150.

31) Appian. II. 88.; Plut. Caes. c. 48. Thessalos, quibus anno 197 *a. Chr.* libertas et immunitas a Romanis concessa est (Liv. 33, 34. 52.; 34, 51.; cf. Polyb. 18, 30. 7.), post bellum cum Perseo gestum quopiam tempore, sedata fortasse rebellione, quam Macedones

Quae perdiu a Caleno oppugnata quum tandem vi aeque ac proditione capta essent, fere diruta, incolarum vero qui caedem effugerant, plerique sub corona venditi sunt[32]). Posterioribus demum temporibus urbs colonis eo deductis aliqua ex parte recreata esse videtur[33]). Deinde postquam Calenus etiam Patras, quo post pugnam Pharsalicam nonnulli Pompeianorum, Catone, Caio Cassio et Cneio Pompeio Magni filio ducibus confugerant, ceterasque Achaiae urbes sine vulnere cepit[34a]), Caesar Manio Acilio[34b]) et Servio Sulpicio consulari, qui Ciceroni amicissimus fuit, Graeciae curam custodiamque commisit: a quo libertatem suam Areopagus Atheniensis acriter defendisse videtur[35]).

Postea bellis civilibus finitis Caesar in Graecia nominis sui monumentum gravissimum ac firmissimum constituit, „Laude Julia" colonia deducta[36a]) sive Corintho urbe, quae amplius centum annis deserta iacuerat, tandem instaurata. Nam Caesar ut Italiae civitates, maxime Romam, *multitudinis* egestate oppressae eiusdemque seditiosae parte liberaret, octoginta millia pauperum civium in colonias transmarinas distribuere ideoque propter locorum opportunitatem inprimis Carthaginem atque Corinthum, quae eodem anno deletae erant, rursus eodem fere tempore, — centum duobus annis postquam interierunt, — restituere et denuo exstruere constituit. Quibus rebus (*a.* 44 *a. Chr.*) colonia libertinorum maxime et nonnullorum militum in agrum Corinthium populi Romani dominium deducta, Corinthus urbs ad novam designationem aedificata est. Tum ludi quoque Isthmii, quorum cura Co-

---

Andrisco duce moverant, in peiorem conditionem detrusos esse ex hoc Caesaris facinore apparet (cf. Niebuhr kleine Schriften. I. p. 247.). Libertas qua iam a Caesare donati sunt, immunitas ducenda esse videtur.

32) Dion. Cass. 42, 14.

33) Plin. h. n. IV. 7. (11.)

34a) Dion. Cass. 42, 13. 14.

34b) „Acilius, qui in Graeciam cum legionibus missus est." Cic. Fam. VII. 30.; cf. Drumann. B. III. p. 679. VI. p. 333.

35) Cic. ad Fam. IV. 3. 4. 12. VI. 6. XIII. 17—28.; Dion. Cass. 42, 6.

36a) Eckhel. Doctrin. Num. II. 238.

rintho *a.* 146 *a. Chr.* eversa a Mummio Sicyoniis delata erat, restituta urbe ad Corinthios rediere.

Caesar quidem, qui Isthmum quoque Anieni cuiusdam opera perfodiendi consilium ceperat[36b]), iam prius interfectus est, quam Corinthus plane restituta esset: nihilominus et loci opportunitate et gratia qua imperatores Romani huic urbi favebant factum est, ut brevi tempore interiecto inter gravissimas Achaiae urbes haberetur. Quae etiam posterioribus temporibus cum sedes proconsulum, qui Graecis praefuerunt, tum emporiorum, quo et Asiae et occidentalium imperii Romani provinciarum mercatores convenerunt, longe florentissimum fuit[37]).

§. 4.

Caesare mortuo Graecorum gens levis atque inconstans magnorum eius in Graeciam meritorum plane oblita Brutum et Cassium, qui illum interfecerant et libertatis sospitatores habiti sunt, maxime coluit. Praecipue Athenienses, quum illi animo populi Romani Caesaris percussoribus infestissimo perterriti Septembre mense anni 44 *a. Chr.* Athenas se contulissent, eos summis honoribus exceperunt atque eo adulationis progressi sunt, ut statuas eorum aeneas prope Harmodium et Aristogitonem in arce collocarent[38]).

Quorum virorum Brutus, quum *a.* 44 — 43 *a. Chr.* Athenis hiemaret, quanquam privatum simulavit et in Pam-

36b) Plut. Caes. c. 58.

37) Appian. (Pun.) VIII. 136.; Plut. Caes. c. 57.; Dion. Cass. 43, 50.; Pompon. Mel. II. 3. 77.; Pausan. II. 1, 2. 2, 2. V. 1, 1.; Strabon. VIII. 6, 23. p. 381.; XVII. 3, 15. p. 833.; Sueton. Caes. c. 42; cf. Dion. Chrysost. Corinth. p. 464. ed. Mor.; Aristid. Isthmic. p. 23. 24.; Boeckh. C. I. vol. I. nr. 1716.; Eckhel. D. N. II. p. 238 sqq.

Narrat Strabo (VIII. 6, 23.) tum colonos Romanos, postquam rudera veteris urbis moliri coepissent, etiam sepulcra effodisse. Qui quum testacea opera plurima atque etiam aerea multa repperissent, omnia fere sepulcra diruerunt, res illas magno divendiderunt, Romam „Necrocorinthiis" impleverunt. Testacea quum initio in magno pretio neque aereis Corinthiis operibus viliora haberentur, tandem studium iis impendi desitum est, quum deficerent testae et pleraque figlina non probarentur.

38) Dion. Cass. 47, 20.; Plut. Brut. c. 24

menis schola rhetoricae, cum Theomnesto autem academico et Cratippo peripatetico philosophiae studio operam dedit[39]), bello gerendo diligentissime prospexit; quippe qui et Herostrati opera copias Romanas in Macedonia collocatas et ipse Athenis multos Romanos iuvenes, qui hac in urbe in humaniora studia incumbebant, in suas partes traheret, ut Ciceronem filium, Horatium, alios[40]). Tum vero anni 43 *a. Chr.* Athenis profectus, quum permulti militum Pompeianorum, qui post proelium Pharsalicum Thessaliam pervagati erant et transfugarum ab exercitu Dolabellae copias ipsius auxissent, facili opera Macedonia et omnibus fere Graecorum civitatibus potitus est. Quae vel illo tempore adversariorum copiis non obtentae erant vel propter Bruti gloriam et mansuetudinem eius causae valde favebant[41]). E quibus maxime Thessali equites atque Partheni Dyrrachio urbi vicini Bruto toti dediti fuisse dicuntur[42]). Quamobrem senatus Romanus, apud quem tum Cicero Bruto amicissimus auctoritate plurimum valuit, quum Octaviano, qui eo usque senatus propugnatorem sese gesserat, fidem non amplius haberet, Bruto Graeciae et Macedoniae imperium decreto confirmavit ac summam addidit potestatem[43]).

Tandem in proelio Philippensi *a. 42 a. Chr.*, postquam diu dubium fuit, liberae reipublicae studiosi ab Antonio et Octaviano plane devicti sunt: qua in pugna duo millia Lacedaemoniorum a partibus Octaviani steterunt, sed priore proelii die, quum Brutus prospero successu illius castra adortus esset, capti et ad unum omnes trucidati sunt[44]).

§. 5.

Octavianus et Antonius, qui iam ante proelium Philippense unam legionem frumentandi causa in Achaiam mise-

---

39) Plut. l. l. c. 24.; Cic. Brut. 97. Orat. 30.
40) Plut. l. c.; Horat. Epist. II. 2, 43. Od. II. 7.
41) Plut. l. l. c. 25. 26.; Dion. Cass. 47, 20. 21.
42) Appian. b. civ. IV. 88. V. 75.
43) Cic. or. Phil. X. §. 13. 15. 16.; Dion. Cass. l. l. 22.; Plut. l. l. c. 27.; Appian. IV. 58.
44) Plut. Brut. c. 41.; cf. c. 46.

rant[45]), exemplo Caesaris illam Graecorum in Bruti partes proclivitatem condonaverunt. Quorum Octavianus mox post victos hostes Romam rediit: Antonius autem, cui orbi terrarum post pugnam illam decretoriam inter triumviros distributa praeter Asiaticas terras Graecia cum finitumis regionibus adscripta erat, quum iuvenis in Graecia versatus et Atheniensium consuetudini moribusque adsuetus esset[46]), a Graecis, qui „φιλέλληνος" et „φιλαθηναίου" nomina ei tribuerunt, facili opera placatus est. Ut enim omnino Graecis favebat eosque beneficiis augere studebat, ita Atheniensium studiosissimus erat. Qui ab Antonio quum mox post Brutum superatum circa Asiam versatus Rhodiis Tenum, Naxum, Andrum et Myndum dedisset, pro Teno insula, (quae antea Athenarum fuerat), Aeginam, Icum, Ceum, Sciathum, Peparethum multaque alia dona tum acceperunt. Atque etiam *Megarenses*, quotcunque e Caleni tempore superstites erant, ille benigne habuit, iis pollicitus Apollinis templum bello deletum sese restituturum esse[47]).

Athenas vero tantopere adamavit Antonius, ut lubentissime postea et diutius ibi versaretur et eo cum familia sua et amicis Romae degentibus conveniret, cui rei urbs peropportune sita esset. Neque tamen aeque ac Brutus litterarum et artium amore Antonius inductus est, ut vitae Atticae mirum in modum adhaereret, immo ingens Atheniensium adulatio ingenti eius vanitati haud mediocriter placuit. Accessit quod Athenis facultas ei data est meretricibus et comissationibus, quibus totus deditus erat, abunde indulgendi.

Postea (*a. 39 a. Chr.*) quum triumviri a populo Romano belli pertaeso et frumenti penuria exacerbato cogerentur, ut cum Sexto Pompeio, qui reliquis liberae reipublicae defensoribus praefectus classibus suis maria Italiae vicina obtineret Italiamque commeatu prohiberet, Miseni pacem facerent, ei ut alias conditiones praetermittam, Achaia i. e. Peloponnesus pacto concessa est[48]). Neque vero Antonius

---

45) Appian. bell. civ. IV. 122.
46) Plut. Anton. c. 2.
47) Plut. Anton. c. 23.; Appian. b. civ. V. 6. 7.
48) Dion. Cass. 48,36.; Appian. V.72.77.; Vellei. Paterc. II.77.

in animo habuit, stare promissis; qui quum iam Peloponnesi civitates pecunia exigenda expilasset, ut quam maxime debilitatae Sexti in manum venirent [49]), tandem Peloponnesios grandem pecuniam sibi debere causa interposita, hanc terram Pompeio tradere prorsus recusavit [50]). Quibus rebus Pompeius, quum praeterea novae inter eum et Octavianum inimicitiae ortae essent, bellum contra triumviros redintegravit; quod bellum quum non nisi ab Octaviano acriter gereretur neque Graeciam attingeret commemorasse sufficit [51]); (*a.* 38 *a. Chr.*)

Pace Miseni constituta Antonius cum Octavia uxore, Octaviani sorore, quam ad foedus cum eo post bellum Perusinum Brundusii factum confirmandum mortua Fulvia in matrimonium duxerat (*a.* 40 *a. Chr.*), hiemem *a.* 39 — 38 *a. Chr.* Athenis exegit. Ubi insane heluatus in omnibus rebus privatum se gessit civem Atticum, praeter cuncta alia publica negotia inprimis Parthico bello, quod P. Ventidio legato suo fortissimo gerendum commiserat, plane neglecto. Qui quum victoriam clarissimam a Parthis reportasset, Antonius media hieme hac de re certior factus eam epulis ludisque splendidissimis Athenis celebravit. Omnino comitate et liberalitate Atheniensium animos tantopere sibi devinxit, ut statuis colosseis, quas Eumeni et Attalo Pergami regibus maiores collocaverant, illorum nominibus exstinctis Antonii nomen inscriberent. Quin etiam eum, cui Herculis progeniem sese professo „novum Bacchum" celebrari placeret, deum urbis praesidem pronunciaverunt, neve ullum adulationis gradum omisisse viderentur, ipsam ei Minervam Poliadem desponderunt. Cuius quidem adulationis gratiam Antonius Atheniensibus ita retulit, ut dotis nomine decies centena millia drachmarum *) exigeret [52]). Deinde

---

49) Dion. Cass. 48, 39. 46.

50) Appian. bell. civ. V. 77.

51) Appian. V. 77—92.; Dion. Cass. 48, 45—49.

*) Seneca Rhet. suasor. III. mille talentorum fuisse dotem refert.

52) Plut. Anton. c. 33.34.; cf. 57. 60.; Athen. IV. 29.; Dion. Cass. 48, 39.; Appian. V. 75. 76.

vere proximi anni (*a.* 38 *a. Chr.*) his nugis abiectis negotiis publicis iterum operam dedit.

Ad fastigium vero insanae luxuriae Antonius, abiectae humilitatis Athenienses tum demum pervenerunt, quum ille *a.* 32 *a. Chr.*, iam Octaviano infestissimus copiisque undique coactis bellum contra hunc comparans, in heluatione cui simul cum Cleopatra amica Aegypti regina in Samo insula indulserat Athenis perseveraret. Quippe non veritus in theatro Atheniensi omnium in conspectu comissationes in modum ludorum Bacchicorum medio sole habere, per omnes civitates Bacchum sese praeconis voce iussit proclamari. Quae quidem nequitia non nisi servili Atheniensium adulatione superata est, qua non modo Antonium sed etiam Cleopatram colebant[53]).

Quum tandem eodem hoc anno (*a.* 32 *a. Chr.*) senatus Romanus nomine quidem ac verbo Cleopatrae, revera autem Antonio bellum indixisset, hic qui et ipse Athenis conventum quendam senatorum suis partibus faventium senatus Romani instar coëgerat[54]), omnes copias suas in Graeciam finitumasque regiones contraxit. Quanquam vero plurimarum civitatum Graecarum milites Antonii legionibus additi erant[55]), nihilominus classem quoque adolescentibus ubique acerbissime extractis Graecis militibus complere studuit: quod quum Graecia prorsus exhausta esset successum non habuit[56]). Tum magno exercitu coacto Athenis classe Brundisium versus profectus est, Octavianum non satis ad bellum paratum iam hoc anno in ipsa Italia aggressurus. Neque tamen Corcyram superavit, quum ne magni quicquam susciperet procellis hibernis impediretur. Quare cum Cleopatra Patris hiemavit, classis quidem maxima parte ad Actium promontorium collocata, terrestribus autem copiis per nonnulla oppida inprimis Peloponnesi ita dispertitis, ut et oras ab hoste defenderent et facilius alerentur[57]).

Deinde in bello inter Octavianum et Antonium *a.* 31 *a. Chr.* gesto iam priusquam duces de summa rerum ad

53) Plut. Anton. c. 56. 57.; Athen. IV. 29.
54) Dion. Cass. 50, 3.
55) Dion. Cass. 50, 6.
56) Plut. Anton. c. 62.
57) Plut. Anton. c. 61.; Dion. Cass. 50, 9.; cf. 11. 12.

Actium promontorium decernerent, levioribus nonnullis certaminibus res Octaviani bene cesserunt. Cuius legatus Agrippa primum Methone Messeniae urbe capta Peloponnesi oras passim diripuit, deinde Leucadem insulam paucis navibus quas Antonius ibi collocaverat fugatis expugnavit, porro Patras et Quinti Nasidii classe devicta ipsum Corinthum cepit, quo Theophilus ab Octaviano procurator Graeciae missus est: denique prope Actium Sosium praetorem navali pugna superavit[58]). Eodem fere tempore Octavianus ipse in septentrionali sinus Ambracii latere, e regione castrorum stativorum, quae in Actio promontorio habuit Antonius, praesidium posuerat atque Comaro portu et Toryne Epiri oppido occupato copiis in Macedoniam missis illum coëgerat, ut vires suas divideret[59]).

Tandem vehementissimo proelio, quod IV Nonas Septembres anni 31 *a. Chr.* ad Actium factum est, *Antonium* devictum et Octavianum summam imperii Romani potestatem assecutum esse omnibus est notum. Qua in pugna e Graecis soli Mantinenses atque Lacedaemonii a partibus Octaviani steterunt; hi quidem si recte Plutarchum intellexerim Eurycle, Lacharis filio, duce. Quodsi auctoritatis, qua postea eum in Spartanorum civitate valuisse scimus, rationem habueris, tum Euryclem, ob caedem patris Antonii iussu perpetratam huic duci infestissimum, populum suum ad Octaviani causam traduxisse probabile esse videatur[60]).

§. 6.

Post pugnam Actiacam Octavianus itinere Athenas facto res Graecorum ordinavit; qui quum satis magnam Graecis praecipue Atheniensibus qui Antonio devicto amicissimi fuerant succensendi haberet causam, tantum abfuit ut gravius in eos consuleret, ut egregia usus clementia Graecarum civitatum opibus, pecuniis, servis et iumentis

---

58) Dion. Cass. 50, 11. 13. 14.; Plut. l. l. c. 67.; Vellei. Paterc. II. 84.

59) Dion. Cass. l. l. 12. 13.; Plut. l. l. c. 62.

60) Paus. VIII. 8, 6. 46, 1.; Plut. Anton. c. 67.

uis bello fere prorsus privatarum inopiam praesentem eo, quod ad ipsius exercitum sustinendum coactum erat, frumento distributo sublevare studeret[61]). Quanquam Graecorum in Antonii partes proclivitati integram veniam non dedisse, sed quum postea socios suos praemiis augeret, adversarios plus minusve poenis affecisse videtur.

Itaque etsi *a.* 31 *a. Chr.* Eleusiniis mysteriis initiatus est[62]) et Nicia archonte (*a.* 27 *a. Chr.*) ad Minervae Archegetidis porticum a Caesare inchoatam perficiendam Atheniensibus magnam pecuniam donavit[63]), nihilominus quum inde ab anno 23 *a. Chr.* diutius in orientalibus imperii Romani provinciis versatus anno 21 *a. Chr.* ad res Graecas denuo ordinandas iterum Athenas venisset, et vetuit ne Athenienses civitatem suam pretio venderent*) et Aeginam**) Eretriamque iis ademit. Quod quidem Dioni Cassio si credimus eo consilio fecit, ut illos ob nimium Antonii studium multaret, nisi quidem existimaveris, Augusto Atticarum

---

61) Plut. l. l. c. 68.; Dion. Cass. 51, 4.; cf. Drumann. I. p. 486. Pausan. IV. 31, 2.

62) Dion. Cass. 51,4.; Sueton. Octavian. c. 93.; cf. Spartian. Hadrian. c. 13.

63) Boeckh. C. I. vol. I. pag. 468. nr. 477.; Stuart's Antiquities of Athens. vol. I. pag. 1.; cf. Corsini F. A. II. p. 161. IV. p. 138. Pro hoc beneficio ut gratiam principi redderent, Athenienses Areo Paeaniense archonte (*a.* 26 *a. Chr.*) Augusti et Romae deae statuas colosseas in arce collocarunt; quorum numinum novorum sacerdotem Pammenem Marathonium crearunt. Boeckh. C. I. vol. I. p. 468. nr. 478.; cf. Corsini F. A. I. p. 42 sqq.; IV. p. 139.

*) Hanc civitatis mercaturam, ex qua magnum lucrum fecerunt Athenienses, postero tempore iis denuo concessam esse inde apparet, quod Tiberio imperante Automedon Cyzicenus mordace carmine acerbisque facetiis eamobrem eos irrisit; vid. Brunck. Anal. Graec. II. p. 208, VI.

**) Aegina insula exinde nunquam Atheniensium fuisse videtur. Nam et Plinius eam liberam vocat (Plin. h. n. IV. 19, 12.), et Pausanias id indicare videtur (Paus. II. 29, 2.) et inscriptio Aeginetarum in Olympieo. (Boeckh. C. I. v. I. nr. 357; Müller Aeginet. p. 192—194.) Omnino de oppidis insulisque, quae his temporibus Atheniensibus vectigalia solvebant vid. Ahrens. p. 59—63.

possessionum ambitum maiorem ei quae tum esset imperii conditioni non convenire visum esse[64]).

Ceterum neque libertatem Atheniensium tum gravius turbasse[65]) neque amplius Athenas multum curasse videtur. Contra alios et Romanos Graecosque nobiles et reges externos, ut Herodem Iudaeorum tetrarcham egregie de urbe ornanda meritos fuisse, memoriae traditum est[66]). E quibus Asiae reges, Romanorum socii atque amici, templum Iovis Olympii a Pisistrato inchoatum, sed ne Cossutii quidem architecti ab Antiocho Epiphane Syriae rege eandem ob causam Athenas missi opera (*a.* **170** *a. Chr.*) exaedificatum, cuncti simul communi sumptu perficiendum curaverunt et Augusti genio dedicaverunt[67]).

Eodem illo anno (**21** *a. Chr.*) Augustus iis Peloponnesiorum, qui in Actiaca pugna pro causa ipsius dimicaverant, gratiam retulit. Quorum Tegeatas quidem, *qui omnes* fere Arcadum civitates in Antonii partes traxerant, ita punivit, ut praeter alia donaria vetus Minervae Aleae signum eburneum urbi eriperet et Romae in aditu fori alicuius ab ipso dedicati collocaret[68]); sed Mantinenses, qui soli illius gentis Lacedaemoniorum exemplo permoti Augustum secuti erant, summis honoribus ornavit. Qua principis comitate delectati Veneri „Συμμαχίᾳ" templum aedificarunt, quo memoriae proderent ipsos in bello civili ab Augusti partibus stetisse[69]).

S p a r t a n i s autem princeps multo magis quam omnibus aliis favebat: qui quum et in pugna Philippensi Actiacaque copiis suis eum adiuvissent, et Liviam uxorem eiusque filios benigne excepissent, iam eo quod syssitiis in-

---

64) Dion. Cass. 54, 7. De narratiuncula, quam Plutarchus exhibet Apophthegm. (August. XIII.) Moral. Vol. I. p. 207 f., vid. Ahrens. p. 12. n. 2.

65) Strabon. IX. 1, 20. p. 398.

66) Ioseph. bell. Iud. I. 15.; cf. Boeckh. C. I. v. I. nr. 265. 309. 311. 364—366.

67) Sueton. Octavian. c. 60.

68) Pausan. VIII. 46, 1. 4.

69) Pausan. VIII. 9, 3.

terfuit Augustus honorati [70]) et Cytheris insula ac nonnullis Messeniorum, qui Pausania teste odio Spartanorum antiquissimo inducti castra Antonii secuti essent, oppidis ut Cardamyle, Pharis Thuriaque donati sunt [71]). Atque adeo iis cura atque praesidium ludorum quinquennalium commissum est, quos in memoriam victoriae Actiacae ad Nicopolim urbem nuper conditam Apollini Actiaco Augustus constituerat [72]). Nihilosecius Spartani tum regionis suae parte privati sunt. Augustus enim, sive conditionem, quae inde a Nabidis tempore usque ad foederis Achaici interitum inter Spartae et orae maritimae incolas fuerat, de integro restituere, sive inimicitiarum, quas si iam antea liberi fuerunt maritimi, inter duas illas populi Lacedaemonii partes fuisse probabile est, finem facere voluit, urbes viginti quattuor *) *in ora* maris interni Taenarum inter et Maleam *promontorium sitas* a Sparta urbe seiunxit: Cardamylen tamen cum parva orae parte Spartanis reliquit [73]), quibus maris aditus pateret. Quorum oppidorum incolae, qui exinde „Eleutherolaconum" nomine „*Λακεδαιμονίοις τοῖς ἐν Σπάρτῃ*" a scriptoribus opponuntur, foedere quodam inter se consociati legibus suis usi sunt [74]).

Qualis status eorum fuerit quaque ratione cum Romanis coniuncti sint, non satis perspicuum est, si excipias

---

70) Dion. Cass. 54, 7. His temporibus (*a.* 20 *a. Chr.*) Augustus Samo quoque insulae, ubi saepius hiemaverat semperque ab incolis summis honoribus exceptus erat, libertatem tanquam xenium donavit. Dion. Cass. l. l. 9.; Plin. h. n. V. 31.

71) Dion. Cass. 54, 7.; Paus. III. 26, 5. IV. 30, 2. 31, 2.

72) Sueton. Octavian. c. 18.; Strabon. VII. 7, 6. p. 325.

*) Quarum urbium Pausaniae tempore hae tantum duodeviginti supererant: Gerenia, Alagonia, Thalamae, Leuctra, Oetylus, Caenepolis, Pyrrhichus, Las, Teuthrone, Gytheum, Asopus, Acriae, Boeae, Zarax, Epidaurus Limera, Brasiae, Geronthrae, Marios. Paus. III. 21, 6.; cf. 26, 6. Reliquae sex Pausaniae aetate aut Messeniae vel Spartae urbi adscriptae erant, aut desertae iacebant, ut Pephnus, Helos, Cyphanta, Leucae; cf. Müller, Dorier. t. II. pag. 22 sqq.

73) Pausan. III. 26, 5.

74) Pausan. III. 21, 6.

et ephoros eorum, ut Oetylensium, Geronthratarum, Taenariorum seu Caenepolitanorum[75]), et praetores et „κοινὸν Ἐλευθερολακώνων“[76]) inscriptionibus commemorari. Contra reliqua Laconicae oppida Spartanorum in potestate ita permanserunt, ut legibus eorum uterentur iisque vectigalia penderent. Ceterum Spartanis tum *Eurycles* ille Lacharis filius Augusto amicissimus, qui propter fortitudinem qua in Actiaco proelio fugienti Antonio institerat, Cytheris insula donatus esse videtur[77]), tyrannice imperabat. Cuius principis Lacedaemoniorum potentia qualis fuerit, accurate quidem cognosci vix potest; sed tamen eum *στρατηγοῦ* vel *πατρονόμου ἐπωνύμου* munere functum ac principis favore sustentatum liberae civitatis regnum sibi vindicasse suspicari licet. Atque Eurycles, homo nobili loco natus, sed nequam voluptati et assentationi deditus, quae quidem vitia per simulationem virtutum obscurare calluit, non solum Spartam et alias Achaiae civitates impudentissime spoliavit, verum etiam quum pecuniae cupiditatis explendae causa in Asiam profectus in aula Herodis Iudaeorum tetrarchae potentiam maximam assecutus esset, delationibus turpissimis inter regem eiusque filios discordiam concitavit. Etsi vero nequitia sua regi summam calamitatem attulerat, nihilominus et ab insano Herode et ab Archelao Cappadociae rege tetrarchae amicissimo magna dona accepit. (*a.* 6 *a. Chr.*) Tandem Spartam redux factus a Spartanis et Achaiae provincialibus apud Augustum bis accusatus, quod et dissensionibus repleret Achaiam omnesque res turbaret, et civitates spoliaret, exsilio multatus ac brevi postea mortuus est. Contra Euryclis filius, Caius Iulius Laco, qui quidem cum Augusto nulla necessitudine coniunctus erat, Eleutherolacones multis beneficiis auxit[78]).

---

75) Boeckh. C. I. vol. I. pag. 608.; (nr. 1323; 1334; 1321; 1322.)

76) Boeckh. l. l. pag. 670 sqq. nr. 1389.; Ross. inscr. Graec. ined. fasc. I. p. 16.; cf. Strabon. VIII. 5, 5. pag. 366.

77) Strabon. VIII. 5, 2. pag. 363.

78) Strabon. VIII. 5, 5. p. 366.; Ioseph. Antiquitt. XVI. 10, 1—4.; bell. Iud. I. 26.; Plut. Apophthegm. (August. nr. 14.) Moral. Vol. I. p. 208 a.; cf. Eckhel. Doctrin. Num. II. p. 281.; Boeckh. C. I. v. I. p. 670 sqq. nr. 1389. cf. nr. 1378. 1391.

Iam restat ut de Patris atque Nicopoli urbibus disseramus, quas princeps summo studio coluit. *Patris* enim quod priscum Achaiae oppidum et rei militari et commercii negotiis peropportune situm esse Augustus cognoverat, coloniam Romanam collocare constituit. Magnam igitur partem exercitus, quo Actiacam victoriam assecutus erat, — si numis nonnullis fides habenda est, veteranos legionis XXIItae, — Patras „coloniam Augustam Aroën Patrensem" deduxit; quibus colonis Augustus et urbem et agros ad Rhium usque promontorium permisit. Praeterea priores urbis incolae, qui bellorum calamitatibus fere oppressi per agros dispersi Messatin, Antheam, Bolinen, Argyram et Aroan oppida habitare coeperant, ex his Patras remigrare iussi, quin etiam Rhypenses, urbe sua funditus eversa, eo traducti sunt. Deinde Dyme, Pharae, Tritia, Achaiae urbes Patris subditae iidemque oppido Locri Ozolae, exceptis Amphissensibus, tributarii facti sunt. Cum praeterea alia in eam civitatem beneficia conferret, quibus Romani colonias a se deductas afficere consueverant, mox urbs et hominum multitudine et commercii negotiis valde effloruit[79a]).

Deducta est colonia aut quod verisimilius esse mihi videtur, haud diu post victoriam Actiacam eodem fere tempore quo Nicopolim Augustus condidit, aut anno demum 14 *a. Chr.*, quod Eusebius contendit[79b]). Quo anno princeps tantopere Patrensibus favit, ut solis iis ex Achaeorum numero permitteret, qui libertate uterentur[80]). Romani enim coloniis suis, si quidem rebus earum instituta legesque Romanae non satis aptae esse viderentur, libertatem ita concedere solebant, ut facultatem haberent coloni, rempublicam suo arbitrio suisque legibus constituendi. Itaque quum et incolae Patrarum Graeci nominis veteranos eo deductos numero superarent, et Italica instituta Graecis vehementer displicerent ac multi ne eo migrarent iis prohibiti sint, Augustus ad urbem augendam non solum coloniam libertate donavit, sed

79a) Strabon. VIII. 7, 5. p. 387.; Pausan. VII. 17, 3. 18, 5. 22, 1. 4. X. 38, 5.; cf. Eckhel. D. N. II. p. 255—258. (maxime p. 256—257); Merleker. p. 461.

79b) Euseb. Chron. ad Ol. 191, 3.; cf. Eckhel. l. l. II. 256.

80) Pausan. VII. 18, 5.

etiam Patrensibus Romani nominis civitatem Romanam non ademit. Quare in numis Patrarum quorum permulti restant, magistratuum Italicorum nusquam mentio fit[81]); quorum Corinthi vicina in colonia quae libertate non esset ornata permultos fuisse inter omnes constat. Deinde imperatores ab Augusto proximi Patras non minus ac Nicopolim tantis beneficiis instruxerunt, ut qui iter per Graeciam essent facturi, ii hanc in urbem proficisci solerent.

Nec minus Augustus locum quo summam de Antonio victoriam reportaverat ornavit. Cuius iussu quum vetus Apollinis templum in Actio promontorio situm amplificatum est atque deo de praeda ex hostibus capta decem naves, ab uno remorum ordine actae ad deciremem usque, dedicatae sunt[82]), tum Antonii opibus prorsus fractis, republica Romana pacata atque ordinata (*a.* 30 — 27 *a. Chr.*), e regione Actii, *ubi* bello durante Augustus castra stativa habuerat, *colonis Romanis* eo deductis *Nicopolis* urbs condita est. Ut vero novam coloniam inquilinis locupletaret, vicinarum terrarum, insularum urbiumque incolae, Ambraciotae et alii Epirotarum, Leucadii, Amphilochi, Anactorii, Acarnanes eo migrare coacti, quin etiam Aetoli, maxime Calydonii, paucis exceptis qui Amphissam Locrorum in urbem se recepere, vi eo translati sunt. Quorum populorum agris pervastatis signa deorum et alia ornamenta, praeter ea quae Patrenses acceperunt, omnia ad Nicopolim urbem exornandam adhibita sunt[83]). Deinde Augustus in colli quo praetorium fuerat Apollinis vel, Suetonio si credimus, Neptuni Martisque aedem spoliis navalibus ornatam exstruxit atque pro Actiis, quae illius regionis incolae agere soliti erant, ludos quinquennales scenicos, amphitheatrales et Circenses instituit, qui in honorem Apollinis Actiaci prope illum collem in suburbio celebrarentur[84]). Denique Augustus Nicopoli-

---

81) Eckhel. D. N. II. p. 225 sqq.; 255 sqq.

82) Dion. Cass. 51, 1.; Strabon. VII. 7, 6. pag. 325.; Sueton. Octavian. c. 18.

83) Dion. Cass. l. l.; Sueton. l. l.; Strab. l. l.; Pausan. V. 23, 2. VII. 18, 6. X. 38, 2.; cf. Eckhel. l. l. II. 165 sqq.

84) Dion. Cass. 51, 1.; Sueton. Octavian. c. 18.; Strab. VII. 7, 6.; cf. Eckhel. l. l.

tanis, ut maiore apud Graecos, qui antiqua instituta summa pietate colebant, auctoritate valerent, locum inter *Amphictyones* esse voluit*); quare Magnetes, Malienses, Aenianes

---

*) *Amphictyoniarum* Graecarum his temporibus sola Delphica manserat; cuius res summatim exponam, mutationibus quoque adjunctis, quae Hadriani demum et sequentium imperatorum tempore illius in institutis factae sunt. Vix tamen opus est commemorare, antiqui splendoris quantuluscunque fuit, etiamsi magna in gravioris momenti rebus auctoritate nunquam valeret, illam ne umbram quidem retinuisse, neque iam re et veritate aliud quidquam fuisse, nisi ridiculae vanitatis et Graecorum et imperatorum documentum. Amphictyonibus enim nihil relictum erat praeter curam templi Delphici: quod quum olim ingentibus divitiis et oraculo illorum potestatem valde auxisset, iam et ipsum nihili erat. (Strabon. IX. 3, 4. 8.)

Strabonem si sequimur (lib. IX. 3, 7. p. 420.), eodem tempore *quo post Corinthi* eversionem Romani vetuerunt, ne concilia Achaeorum aliarumque gentium Graecarum amplius haberentur, Amphictyonum quoque conventus abolitus est; sed paucis annis post simul cum conciliis populorum, quae Pausania teste (VII. 16, 7.) Romanorum clementia brevi postea instaurata esse supra commemoravi, restitutus esse videtur. Quanquam vero Graeci pristinum Amphictyonum concilium magna religione et veneratione etiam tum colebant, contra et ex insolenti ratione, qua Sulla Delphicas opes illis eripuit, et ex eo quod Augustum fecisse modo narravi, plane intelligitur, ut omnino Graecos eorumque instituta, ita Amphictyonum dignitatem a Romanis magni non habitam esse.

Pausaniae tempore Amphictyones contra morem maiorum iam non secundum gentes duodecim, sed secundum urbes triginta mittebantur. De urbibus populisque, e quibus Amphictyonum ad conventum legati venerunt, Pausanias fere haec tradit: „E Nicopoli, Macedonia et Thessalia binos, ex Boeotis vero et Phocensibus itemque Delphis binos, ex vetere Dorica regione unum missos esse" dicit. „Mittebant praeterea Locri Ozolae simul cum Opuntiis et Epicnemidiis unum utrique, Peloponnesiorum autem Argivi cum Sicyoniis, Corinthiis et Megarensibus unum; unus Euboeensis itemque unus Atheniensis accessit. Athenae vero, Delphi et Nicopolis omnes obibant Amphictyonum conventus, ex ceteris autem populis per vices et certo tempore interiecto singulae urbes in Amphictyonum consessum, *Delphos* et *Thermopylas*, conveniebant." (Pausan. VII. 24, 3.; X. 8, 3.; Dion. Chrysost. or. 77. p. 651. ed. Mor.; cf. Liv. 33, 35.) „Es hatten also damals nur die Einzelstädte Athen, Delphi und Nikopolis Viril-, alle andern Städte und Stämme Curiatstimmen, die abwechselnd den Mitgliedern je einer Curie übertragen wurden;" cf. Hermann. l. c. §. 14.

et Phthiotae Thessalis sese contribuere iussi, suffragia vero quae illorum et Dolopum fuerant, (interierat enim iam Dolopum gens), ad Nicopolitanos translata sunt[85]).

Quo factum est ut Nicopolis omni modo beneficiis aucta, magno agro praedita, vicinorum spoliis ornata, mox magna hominum multitudine vigeret et in dies ad maiorem florem perveniret. Quae simul cum Patris inter opulentissimas et creberrimas Achaiae urbes numerata aeque atque Athenae et Corinthus omnes alliciebat, qui Graecorum splendoris reliquias admirati sunt[86]).

§. 7.

A qua novorum illorum oppidorum opulentia ceterarum Graecarum civitatum conditio vehementer discrepuit; quam tum miserrimam fuisse, e libro Strabonis quippe *illorum* temporum aequalis optime cognoscimus. Qui „operae pretium" inquit „minime esset facturus, si quis accurate describere vellet Graeciae regiones maximam partem desertas et urbes cum incolis fere deletas, in quibus Romani a civibus domini constituti castra sua ipsis in domibus habent" [87]).

Quo teste tota Graecia septentrionalis, Epirus, Acarnania, Aetolia cum Locride, iam bellis Macedonicis exhausta, Romanorum bellis civilibus incolis fere prorsus orbata erat:

Munus Amphictyonis i. e. legati ad conventum Pylaicum vel assessoris suffragio praediti imperatorum tempore in vitam datum esse, et quum ipsum foedus iam vanum ac nullius momenti esset, „πόνον ἡδὺν κάματον τ' εὐκάματον" fuisse Plutarchus testatur (An seni sit gerend. respubl. c. 20. Mor. Vol. II. p. 794 b.); cuius aetate externus conventuum splendor aliquo modo auctus esse videtur (Plut. de Pythiae orac. c. 29. Mor. Vol. I. p. 409 a.). Cf. Boeckh. C. I. vol. I. p. 560. nr. 1058.; p. 578. nr. 1121.; p. 580. nr. 1124.; ubi Hadriani aetate „Ἑλλαδάρχης τῶν Ἀμφικτυόνων" commemoratur, cuius muneris prioribus temporibus nulla mentio fit; cf. nr. 1318; 1396. Vid. Tittmann, Bund der Amphiktyonen p. 68. et p. 210—218.

85) Pausan. X. 8, 2.

86) Strabon. VII. 7, 6.

87) Strabon. VII. 7, 3.; cf. omnino de conditione Graeciae, quae hoc tempore fuerit, Cic. ad Fam. IV. 5, 4.; Senec. epist. 91.; Dion. Chrysost. orat. 7. p. 105.; 33. p. 401. ed. Mor.

plurimis urbibus deletis cultores qui superstites erant, passim dispersi sub imperio Romanorum veteranorum vicos tantum et rudera habitabant [88]). Deinde oppidorum Thessalicorum Larissa tantum pristinae gravitatis aliquid obtinuerat [89]); Boeoticorum, Thebis ut supra vidimus ad summam inopiam redactis, non nisi Tanagra et Thespiae dignae visae sunt, quae urbium nomine appellarentur [90]). Porro Athenis quidem liberis antiquae dignitatis species atque templorum ac publicorum aedificiorum splendor manserat [91]), Attica vero fere deserta iacuit, ac Piraeeus et Munychia portus, munimentis navalibusque Sullae iussu eversis, nunquam recreati erant [92]). Tum Arcadiae urbes plurimae in ruinis iacuerunt: e quibus Mantinea, Orchomenus, Heraea, Clitor, Pheneus, Stymphalus, Maenalus, Methydrium, Caphyae ac Cynaetha vel prorsus interciderant vel vix vestigia earum et indicia supererant [93]). Ipsa Megalopolis summa urbs quo octo et triginta oppidorum incolae in summam agriculturae perniciem olim contracti fuerant, iam tantopere erat deserta, ut intra moenia larga equorum et asinorum pascua essent [94]); neque alia quaequam urbs nisi Tegea graviore civium numero ornata erat. Denique Laconicae urbium, quarum multitudo prioribus temporibus centum numerum superasse dicitur, tum triginta tantum restabant [95a]).

Quanquam Strabo interdum res verbis exasperasse videtur, quum multas urbes, quas iam tum deletas vel desertas fuisse tradit, etiam imperatorum aetate quamvis inopissimas exstitisse et e Pausaniae libro manifestum sit, et inscriptio-

---

88) Strabon. VII. 7, 9. Iam Paullus Aemilius septuaginta Epirotarum urbes everterat et CL millia hominum in servitutem abduxerat 7, 3.; de Aetolia et Acarnania cf. X. 2, 24.; de Locride vid. IX. 4, 11.

89) Strabon. IX. 5, 3.

90) Strabon. IX. 2, 5.

91) Sed conferas Ovid. Metam. XV. 428. „Quid Pandioniae restant, nisi nomen Athenae?"

92) Strab. IX. 1, 15. 20 sqq.

93) Strab. VIII. 8, 2.

94) Strab. l. l. 1. „*νυνὶ δὲ καὶ αὐτὴ ἡ Μεγαλόπολις τὸ τοῦ κωμικοῦ πέπονθε καὶ:*
„*Ἐρημία μεγάλη ἐστὶν ἡ Μεγαλόπολις*". cf. Paus. VIII. 33, 1.

95a) Strab. VIII. 4, 11.; c. 5.

nibus numisque demonstretur. Quod maxime ad Mantineam pertinet, quam urbem a Strabone deletarum in numero relatam et hoc tempore et diu postea viguisse Pausanias refert. Omnino existimandum est, permultas Graecorum urbes opibus suis plane privatas tum vicorum in formam redactas et ab exiguo rusticorum numero habitatas esse, qui et nomina et iura civitatum quoad possent obtinerent [95b]).

Nihilominus pro certo habendum est, omnes fere Graeciae civitates primum latifundiorum studio, postea vero belli calamitatibus et Romanorum iniuriis vehementer turbatas, tum temporis egestate, aere alieno, hominum inopia laborasse ac maximam terrae partem desertam ac desolatam fuisse. Quo factum est ut eadem aetate qua Romanorum opes, quum iam summa potestas penes unum virum esset, in fastigium pervenerunt, Achaia omni gravitate magis magisque exuta inter provincias orbis terrarum iam fere nullius esset momenti. Non est igitur quod miremur, posteriore tempore de rebus Graecorum Atheniensibus solum exceptis perpauca tantum nobis tradita esse.

95b) Kuhn. pag. 135—140.

PARS ALTERA.

AB AUGUSTI PRINCIPATU USQUE AD ANTONINORUM AETATEM. A. a. Chr. 27—180 p. Chr.

CAPUT I.

§. 1.

Quum demonstrare supra studuerim, *Achaiam* usque ad Augusti principatum in provinciae formam nondum redactam fuisse, sed speciem quandam libertatis retinuisse, hanc liberam conditionem, bellis civilibus magis magisque turbatam, iam demum plane exstinctam et Graeciam ad certam formulam constitutam esse scriptorum testimoniis probatur, qui inde ab Augusti aetate ad unum omnes provinciae appellationem huic terrae tribuunt. Neque dubium esse mihi videtur, quin ista rerum Graecarum commutatio anno 27 *a. Chr.* facta sit; quippe in quo anno imperii Romani provinciae inter Augustum et senatum ita divisae sint, ut quaecunque militum praesidio essent tenendae, id est proconsulares quas antea vocabant (Hispaniae, Galliae, Syria, Cilicia, Aegyptus), Caesari exciperentur, praetoriae autem, quibus magistratus sine imperio praeesse possent (Hispania Baetica, Sicilia, Sardinia cum Corsica, Africa cum Numidia, Dalmatia, Macedonia cum Graecia, Asia, Pontus cum Bi-

thynia, Creta, Cyprus et Cyrene), senatui administrandae permitterentur. Nec minus inter omnes constat, provinciarum appellationem simul eo modo esse mutatam, ut exinde terrae imperatoriae sive Caesarianae, quae plerumque quidem a legatis Augusti sive propraetoribus, interdum autem modo a procuratoribus vel praesidibus administrabantur, propraetoriae nominarentur, contra provinciae senatoriae, in quas proconsules a senatu mittebantur, proconsularium nomen acciperent[1]).

Ita Macedonia et *Achaia*, quarum conditio levi tantum immutatione egebat ac si fortasse perturbaretur, in integrum facile restitui poterat, in provinciarum senatoriarum numero relatae sunt[2]). Achaiae igitur, quum perpetuo praesidio eam teneri non opus esset, proconsules praefuerunt, qui Corinthi in urbe sedem habebant[3a]); *quibus* iudicia exercentibus Philostrato teste postea *assessores* Graeci additi sunt. Neque tamen Graeci magnum ex eo fructum ceperunt; proconsules enim ob inscientiam Graecae linguae assessoribus venalibus nimis freti eorum consiliis saepe eo adducti esse videntur, ut contra ius ac morem decernerent et iudiciis legibusque in gratiam illorum abuterentur[3b]). Ceterum ius Romanum ex eo tempore in Achaia quodammodo valuisse inde colligere licet, quod eodem Philostrato significante his temporibus adolescentes Graeci Romam interdum se conferebant, ut iuri legibusque Romanis cognoscendis operam darent[4]).

Quamvis autem et certas ob leges, quibus Augustus res provinciarum ordinaverat ac diligentem ob curam, quam imperatores senatoriis quoque provinciis impendebant, et

---

1) Dion. Cass. 53, 12—15.; Sueton. Octav. c. 47. De priore provinciarum appellatione vid. Cic. ad fam. VIII. 8.; cf. Onuphr. Panvin. imp. Rom. p. 794. ed. Venet. 1558. Hoeck röm. Gesch. t. I. p. II. p. 182.

2) Dion. Cass. 53, 12.; Strab. XVII. 3, 25. (p. 840.)

3a) Vid. Act. Apostol. XVIII. 12. cf. Boeckh. C. I. vol. III. nr. 4033. „ἀνθύπατος Ἀχαΐας πρὸς πέντε ῥάβδους."

3b) Philostrat. Vit. Apollon. Tyan. V. 13. p. 249. ed. Mor.

4) Philostr. Vit. Apoll. VII. 17. p. 370 c.

propter salaria omnibus provinciarum magistratibus constituta[5]) provinciales cum omnino multo meliore conditione fruerentur, quam liberae reipublicae Romanae temporibus, tum maxime ab iniuriis proconsulum et privatorum Romanorum rapinis iam tuti essent, nihilominus senatus administrationem Graecis et Macedonibus vehementer displicuisse inde apparet, quod iam primis Tiberii annis illi onera sua deprecantes ad imperatorem confugerunt. Cui has provincias levari in praesens proconsulari imperio, ad suam curam transferri ac primum Germanico Caesari (14 — 15 *p. Chr.*) tradi placuit[6]); deinde (15 *p. Chr.*) Poppaeo Sabino Moesiae praetori, quum iam provincia ei prorogaretur, *Achaia* quoque ac Macedonia subditae atque etiam postea ab Augusti legatis administratae sunt[7]). Neque tamen hic rerum status diuturnus fuit; iam enim Claudius imperator duas *illas* provincias senatui reddidit (44 *p. Chr.*), ut exinde si quidem breve spatium ridiculae libertatis Graecis a Nerone concessae, de qua infra dicendum erit, exceperis, pro legatis Augusti semper proconsules in Achaiam mitterentur. Neque vero in eo offendas, quod etiam huius provinciae rector interdum quaestor Achaiae pro praetore vel simpliciter propraetor Achaiae nominatur[8]).

§. 2.

Ut iam de ambitu Achaiae provinciae quaeramus, Strabo[9]) eam eo usque patuisse refert quo Thessalia, Aetolia, Acarnania Macedoniae et Epiri fines attingerent. A quo quum Epirum Macedoniae adscribat, Tacitus et Dio Cassius

---

5) Dion. Cass. 53, 15.; cf. Tacit. Annal. I, 2.

6) Tacit. Annal. I. 76.

7) Tacit. Annal. I, 80. V. 10.; cf. Dion. Cass. 58, 25.

8) Dion. Cass. 60, 24.; Sueton. Claud. c. 25.; cf. Boeckh. C. I. vol. I. nr. 1711. p. 839. et schol. Iuven. V. 36. „Helvidius Priscus sub Nerone Achaiam quaestor administravit."

9) Strabon. XVII. 3, 25. (p. 840.); cf. Cic. ad fam. XIII. 25. vid. 19. 20. Plin. h. n. IV. 1 sqq.

dissident; quorum ille Nicopolim Epiri urbem in Achaia sitam esse per occasionem dicit [10]), hic autem Epirum cum Achaia coniunctam fuisse aperte prodit [11]). Quae scriptorum discrepantia facile solvitur: ut omnino enim imperii provinciae minores, quum iam amplioris cuiusdam terrae remotiores partes essent, interdum propriis rectoribus traditae sunt, ita Epiri quoque procurator (ἐπίτροπος) commemoratur [12]). Quae quum ampliorum provinciarum finitumarum quodammodo esset appendix, priorum imperatorum aetate, qua Achaiam et Macedoniam iisdem saepius praetoribus subditas fuisse supra vidimus, pro tempore modo Achaiae modo Macedoniae adscripta fuisse videtur. Atque pariter Thessaliam, quippe quae iam ante foederis Achaici interitum priscis suis finibus non mutatis ad suas leges esset constituta [13]), imperatorum quoque aetate singularem imperii partem fuisse putaverim.

Posterioribus vero temporibus Achaiae fines plane mutatos esse facile ex eo colligitur quod Ptolemaeus [14]) non solum Thessaliam Macedoniae adscribit, sed etiam Epirum cum Acarnania insulisque Corcyra, Cephalenia, Ithaca, Echinadibus et Zacyntho peculiarem provinciam effecisse refert. Unde Achaiae ambitu tum praeter Peloponnesum modo Locridem, Phocidem, Boeotiam, Megaridem, Atticam, Doridem, Euboeam cum minoribus maris Aegaei insulis, quae quidem iam Augusti tempore Achaiae coniunctae fuerant, — iis exceptis, quae etiam tum libertate utebantur, — comprehensas esse probatur: neque scio an hic Achaiae status ad Iustinianum imperatorem usque perduraverit.

---

10) Tacit. Annal. II. 53.

11) Dion. Cass. 53, 12.

12) Arrian. Epictet. dissert. III. 4. init.

13) Liv. 34, 51.

14) Ptolem. III. c. 13—17.; cf. Plin. Ep. VIII. 20. Trebellius Pollio (Gallien. duo. 2.) Thessaliam ab Achaia discernit; in Antonini Itinerario (P. 488. ed. Wessel.) Naupactus urbs Achaiae, Echinades insulae Epiro adscribuntur; denique Isidorus (Orig. XIV. 4, 11.) duabus effici provinciis Graeciam, Boeotia et Peloponneso, refert.

§. 3.

Quanquam libera Graecorum conditio, Achaia tandem in formam provinciae redacta, iam plane exstincta erat[15]), tamen longe plurimas Graecarum urbium et vicorum etiam tum antiquissima sua instituta retinuisse ex numis, inscriptionibus et eiusdem aevi scriptoribus recte concludi potest[16]). Sed quum haec omnia enumerare et longum sit et inutile, de eiusmodi rebus nisi gravioris sint momenti non disputandum erit.

Ita antiquissimas illas tribus (φυλὰς) tres Doricas Hyllensium, Dymanum, Pamphilorum Megaris Argisque imperatorum etiam aetate valuisse scimus; quibus Argis, de cuius urbis fatis hac aetate omnino nihil fere traditum est, nisi quidem vagum illud Iuliani Apostatae dictum[17]) respicias, Argos sub Romanis iisdem fructos esse commodis ac beneficiis, quibus civitates ab illis maxime fautae usae essent, Hyrnathia[18]) et Megaris Adrianidarum tribus addita est[19]), quam eodem tempore Athenienses quoque instituerunt[20]).

Plura quidem de Spartanorum republica accepimus: ubi Lycurgi instituta ac leges iam antea Cleomenis opera renovatae et ex parte immutatae, postquam Achaeorum decretis iussu Romanorum sublatis restitutae sunt (184 *a. Chr.*)[21]), ad imperatorum usque aetatem omnino non mutatae esse videntur. Neque vero crediderim, Romanis curae fuisse, ut disciplinae civitatis Spartanae, qua omnis fere

15) Graecarum civitatum praeter Lacedaemonem Athenasque sub imperatoribus Nicopolis, Delphi, Thespiae, Tanagra, Pharsalus, Mothone, Patrae, Abae, et insularum Aegina, Astypalaea, Cephalenia, Corcyra, Samothrace, Thasus Zacynthus liberae fuerunt, quum Locri Ozolae, hi quidem Patris tributarii, Amphissa, Pallantium, Elatea immunitate tantum fruerentur. Plin. h. n. IV. 1—15. (1—8.) Pausan. IV. 35, 2. VII. 18, 5. VIII. 34, 2. 35, 2.

16) Vid. Kuhn. pag. 125—128.

17) Iulian. Epist. XXXV. p. 408. ed. Spanhem.

18) Boeckh. C. I. vol. I. p. 579. nr. 1123.

19) Boeckh. l. c. p. 566.

20) Pausan. I. 5, 5.

21) Plut. Philop. c. 16.

potestas penes optimates esset, graviorem commutationem facerent. Etsi enim regium imperium non restitutum est, quod quidem viris potentibus per Romanos elatis, ut Eurycli, impedimento non fuit quominus tyrannorum instar cives superbe crudeliterque tractarent, tamen sub ipsis imperatoribus gerusia, ephori, nomophylaces, bidiaei et patronomi, quorum primus ἐπώνυμος fuisse videtur, commemorantur; atque adeo ecclesiae in loco qui „Σκίας" vocabatur habitae mentio fit[22]). Denique Spartani etiam tum non tribus illis Doriensium tribubus usi, sed ad notissimas illas quinque regiones*), (Limnas, Pitanen, Mesoam, Cynosuram atque Dymen), distributi sunt, quarum partes obas fuisse probabile est[23]).

Praeterea quamvis antiqua Spartanorum virtus vehementer debilitata, ne dicam plane exstincta esset, tamen cum aliae maiorum consuetudines ac mores et festorum ac sollemnium caerimoniae hoc ipso tempore supererant, tum ad postremam usque aetatem adolescentes non solum sub divo pernoctare et in pugilatu certare cogebantur, sed etiam quotannis ad aram Dianae Orthiae flagellis caedebantur[24]). Omnino enim Lycurgi praecepta usque ad Constantini Magni aetatem valuisse videntur; qua demum Romanorum legibus magis magisque propagatis aeque locum dederunt[25]) atque Atheniensium quoque Areopagus, heliaea, iudicium in Delphinio constitutum, quingentorum senatus, undecimviri, thesmothetae, polemarchus et archon eponymus, qui per tot saecula permanserant, tum finem ceperunt[26]).

---

22) Paus. II. 9, 1. 3. III. 11, 2. 12, 8.; cf. Boeckh. C. I. vol. I. p. 604—613.; Ross. inscr. ined. I. p. 10.

*) Quas nos appellamus „territoriale Tribus".

23) Boeckh. l. c. p. 609.

24) Dion. Chrysost. XXV. p. 281. Mor.; cf. Philostr. vit. Apoll. IV. 10. p. 189. VI. 10. p. 292. ed. Mor.; Paus. III. 10, 8. 14, 6. 16, 7.; Plut. Lycurg. c. 18.; institt. Lacedaem. 40. Moral. Vol. I. p. 239 d.; Dion. Cass. 53, 27.

25) Theodoret. IV. p. 930. ed. Schulz.

26) Aristid. Panath. I. p. 171. 309. ed. Dindorf.; Pausan. I. 3, 4. 28, 8—11.; Iulian. orat. I. p. 8. III. p. 114. ult. ed. Spanh.; Eunapius vit. sophist. Iulian. p. 73. Proaeres. p. 81. ed. Boissonade.

Simili autem modo quo antiqua singularum urbium instituta, foedera quoque civitatum etiam tum mansisse supra vidimus; quae tamen quavis auctoritate politica diu privata ad festos solum communi civitatum sumptu agendos pertinuisse constat[27]). Sic de Panioniis[28]), de concilio Achaeorum Aegii in urbe[29]), Boeotorum ad Minervae Itoniae templum in agro Coronensi habito[30]), de Phocensium[31]) aliisque eiusmodi foederibus etiam posteriorum imperatorum tempore testimonia exstant. Consultationibus quidem decretisque conciliorum illorum, si quidem non ludos tantum ac festos respiciebant, non nisi privatorum causae nullius momenti diiudicatae sunt[32]): nam imperatores rescriptis interdum ad illa edendis nil nisi id solum egerunt, ut edicta sua atque decreta quam celerrime in omnium Graecorum notitiam perferrentur. Quod vero foederum illorum longe gravissimum manebat Achaicum a praetoribus administrabatur; quorum unus etiam M. Aurelii et L. Veri aetate commemoratur[33]). Cuius foederis ambitu tum Argivi, hi quidem et ipsi proprio coniuncti synedrio[34]), Messenii, Arcades et fortasse Eleutherolacones comprehensi sunt; quum Megarenses pro tempore modo Achaeorum modo Boeotorum concilio adscripti fuisse videantur[35]).

Ipsi autem ludi ac festi, quibus curandis concilia illa summam operam dederunt, atque quorum praeter quattuor illos notissimos ingentem multitudinem a Graecis celebratam esse traditur[36]), omni dignitate ac momento iam diu plane exuti erant. Quamvis enim universi Graeci more maiorum ad Olympia, Isthmia, Nemea, Pythia agenda certo tempore

27) cf. Eckhel. Doctr. Num. IV. p. 208.
28) Strabon. VIII. 7, 2. (p. 384.) XIV. 1, 20. (p. 639.); Phil. vit. Apoll. IV. 5.
29) Pausan. VII. 24, 3.
30) Paus. IX. 34, 1.; Boeckh. C. I. vol. I. p. 726.
31) Paus. X. 4, 1. 2.
32) Eckhel. D. N. II. p. 507.
33) Boeckh. l. c. p. 792. nr. 1124.
34) Pausan. VIII. 23, 1.
35) Boeckh. C. I. vol. I. nr. 1053. 1058. 1062. et p. 640.
36) Vid. Zinkeisen. p. 557. not. 2. 3. p. 558. not. 3.

interposito convenirent et corona laurea, victoriae reportatae praemium, summa mortalium gloria haberetur[37]), tamen revera Graeci tum eo maxime ad ludos frequentandos impulsi sunt, quod sperabant fore ut simul hanc vel illam rem raritate notabilem spectarent atque adeo miris circulatorum planorumque artibus et nugis delectarentur[38]). Quod ad ipsa Olympia omnium festorum longe gravissima pertinet: quae ut in Asiam transferre et sua in urbe celebrare sibi liceret, Malala teste iam Claudio imperante Antiochenses Sÿri a Pisaeis Eleis pacto pretio redimere studebant, sed Commodi demum aetate in nonaginta Olympiadum spatium impetrabant[39]). Ex quibus omnibus apparet, Graecos omni robore ac dignitate iam privatos tanquam populum superstitem sui vixisse.

Quare non mirum est quod Graeci e commodis, *quae* his temporibus imperatorum dominatus praebuit, *nullum fere* fructum ceperunt. Damno autem Graecis fuisse, quod speciem quoque libertatis amitterent, aperte negaverim: quorum civitates ut iam ante Corinthum eversam sempiternis bellis debilitatae fractaeque erant, sic inde ab anno 146 *a. Chr.* usque ad Augusti principatum antiquis inimicitiis nondum abjectis id plerumque egerunt, ut mutuum sibi detrimentum afferent[40]). Itaque quum iam libertate plane privarentur, civitates modo impeditae sunt, quominus altera alteram perderent. Deinde ordine provinciarum ab Augusto instituto, quem multo plerique provincialium lubentissime exceperunt[41]), tandem certa iuris ratio inter principem atque subiectos constituta est: quibus bellis civilibus finitis ac pace restituta facultas reddita est, ut quaestui faciendo et commercii negotiis prospere operam darent[42]). Graeci autem, quanquam

---

37) Dion. Chrysost. Rhodiac. p. 344.; Pausan. V. 7, 4 sqq. — 9, 5. X. 7, 2 sqq.; Iulian. Epist. XXXV. p. 407. ed. Spanh.

38) Philostr. vit. Apoll. VIII. 6. p. 416., cf. Lucian. de morte Peregrini.

39) Malalas Chronograph. X. p. 248.; cf. XII. p. 286. ed. Bonn.

40) Plut. Cimon. c. 1. 2.; cf. Pausan. IV. 31, 2. VIII. 8, 6. et Philost. vit. sophist. I. 24, 3. p. 529.

41) Tacit. Annal. I. 2.

42) Imperatorum temporibus Graecia Romanis inprimis res ad luxuriam pertinentes praebuit. Ita Romani vino potissimum Graeco atque

a plerisque imperatorum magna humanitate tractati et praecipue ab Hadriano et Antoninis summis beneficiis ornati sunt[43]), tamen neque illis commodis omnium communibus neque hac principum benevolentia prudenter utebantur: evanuerat enim facultas ipsorum viribus novum reipublicae florem assequendi et excolendi. Quorum permulti Romam profecti aut litterarum praeceptores se praebebant aut optimatium luxuriae ac libidinibus inserviebant[44]). Qui domi permanserunt, nisi quidem in rerum prorsus vanarum studio acquiescebant, doctrinae recentiorum sophistarum, qui peculiare quoddam genus philosophiae cum arte rhetorica coniunctae docebant, maxime operam dabant.

Quum vero Asiae et civitates Graecae et regiones a Graecis cultae sub Romanorum quoque imperio ad summum florem pervenirent, vitio Romanorum non factum esse intelligitur, ut *Achaia* cuius frequentia in dies imminuta est, vires suas ac pristinum splendorem nunquam reciperet. Immo eius res magis magisque ita lapsae sunt, ut in hac terra praeter colonias Romanas paucae tantum urbes florerent, quae aut antiquorum ornamentorum splendore aut scholarum suarum gloria peregrinos alliciebant.

---

melle delectati sunt: mel a Hymetto monte et a Sporadibus insulis Romam exportatum ob famam et locorum distantiam longe plurimi aestimatum est, cum tamen Siciliense et Hispaniense eadem fere praestantia excelleret (Strabon. IX. 1, 23. p. 399. X. 5, 20. p. 489). Deinde egregii marmoris copiam Graecia Romanis exhibuit; cuius metalla in Hymetto et Pentelico Atticae montibus (Strabon. IX. 1, 23. l. c.; Plin. h. n. 17, 1. 36, 3. 5.), in Taenaro promontorio et Taygeto monte (Strab. VIII. 5, 7. p. 367.; Plin. h. n. 36, 11.) et in Paro, Scyro, Carysto insulis (Strab. IX. 5, 16. p. 437 et p. 446.; Plin. h. n. 36, 7.) maxime exercita sunt.

43) cf. Dion. Chrysost. Rhodiac. p.544 d.; Aristid. elog. Rom. p. 207.; cf. p. 215.

44) Vid. maxime Lucian. pro mercede conductis. c. 7. 11. 17. 20. 24. 25. 26—35. 36. 40. 41.; Sueton. Tib. c. 56.; Tacit. Annal. II. 2.; Iuvenal. satir. I. 3. 69 sqq.; Horat. Epist. II. 1, 93.

CAPUT II.

A. a. Chr. 27—117 p. Chr.

§. 1.

Quum iam supra ubi exposui, quibus praemiis poenisve Augustus post pugnam Actiacam Graecorum *civitates* affecerit, rerum memoratu dignarum, quae illo *imperante* in Graecia gestae sunt, plerasque attulerim, *pauca tantum* de Atheniensibus commemoranda sunt, priusquam ad Tiberii imperium describendum progrediar. Ut taceam archontes, quorum non nisi nomina, ut Cl. Attali, Nausiae, Lycisci, Dionysii, Theonis, Agasiae[1]), antiquis inscriptionibus nobis tradita sunt, (solus enim Rhoemetalces Thraciae rex idemque civis Atticus, qui bello Actiaco ab Antonio ad Augustum desciverat et anno 9 *p. Chr.* summo Athenarum magistratu functus esse videtur[2]), memorabilis est): Athenienses extrema fere Augusti aetate anno 13 *p. Chr.* seditionem movisse et ipsum Iani templum duodecim per annos clausum ob hunc tumultum denuo apertum esse, a nonnullis posterioris temporis scriptoribus narratur[3]). Quam seditionem si qua fuit nullius momenti et sine dubio statim sedatam esse, ex omnium huius aetatis scriptorum silentio certe colligitur; quum omnino si reputamus quam de-

---

1) Vid. Corsini F. A. I. p. 31. II. p. 141. IV. p. 140 sqq.

2) Corsini F.A. II. p. 194 sqq. cf. IV. p. 147.; Boeckh. C. I. vol. I. p. 366. nr. 265.; cf. Plut. Romul. c. 17.; Apopthegm. regum. (August. 2.) Moral. Vol. I. p. 207 a.

3) Oros. hist. adv. Pagan. VI. 22.; Paul. Diacon. Hist. Miscell. VII.; Euseb. Chron. ed. Aucher. II. p. 263.; cf. Georg. Syncellus. Chronogr. ed. Par. p. 318 c.

bilis fractaque tunc Athenarum vis quamque firmum Romanorum imperium fuerit, Athenienses ne contra Achaiae quidem magistratus, nedum contra imperatorem unquam arma cepisse, probabile esse videatur.

§. 2.

Tiberio imperante*) Germanicus Caesar quum in Asiae provincias sibi subditas proficisceretur, Graeciam peragravit (17 — 18 *p. Chr.*) et benevole Graecos tractavit, ubique quaesitissimis honoribus exceptus. Qua occasione oblata Graeci vetera suorum facta dictaque praeferebant, quo plus dignationis adulatio haberet. Liberalissime Germanicus Athenienses habuit foederique sociae et vetustae urbis dedit, ut uno tantum lictore uteretur[4]). Cuius mansuetudinis et comitatis poenas solvit; Cneius Piso enim Syriae proconsul, Caesari a Tiberio comes additus, illi inimicissimus quum summa Atheniensibus offensus esset ira, quia Theophilum quendam Areo iudicio falsi damnatum precibus suis non concesserant, brevi postea illorum civitatem oratione saeva increpuit, oblique Germanicum perstringens, „quod contra decus Romani nominis non Athenienses tot cladibus exstinctos, sed colluviem quandam nationum comitate nimia coluisset; hos enim esse Mithridatis adversus Sullam, Antonii adversus Divum Augustum socios"[5]).

Quodsi quidem constantia, qua Areopagus Theophili iure damnati impunitatem Pisoni denegaverat, huic iudicio summo honori habenda est, tamen Athenarum vitae publicae vanitas cum ex auctoritate, qua ephebos cum magistratibus suis, gymnasiarchis, cosmetis aliisque eiusmodi tunc in civitate viguisse monumenta publica testantur[6]), tum e turpi adu-

---

*) Anno 15 *p. Chr.* Xenon archon eponymus fuit. Corsini Fast. Att. II. p. 154 sqq. IV. p. 149.; cf. Boeckh. C. I. vol. I. nr. 181. p. 312 sqq.

4) Tacit. Annal. II. 53.

5) Tacit. Annal. II. 55.

6) Cf. Boeckh. C. I. vol. I. nr. 251 sqq.; Ahrens. p. 53—59.; Hermann. Griech. Staatsalterth. §. 161. nr. 3, §. 176. n. 18 sqq.

latione patet, qua Athenienses Romanorum viros potentes [7]), inprimis imperatorum gentem semper colebant. Qui eo humilitatis progressi sunt, ut annis 15 — 23 *p. Chr.* archontes eponymos, ut Xenonem et Mithridatem, simul Drusi Caesaris sacerdotes crearent [8]).

Ceterum de rebus Graecorum sub Tiberio perpauca tantum prodita sunt. Quem anno 22 *p. Chr.* una cum senatu conatum esse accepimus, ius asyla statuendi quo tum in Graecis urbibus et Achaiae et Asiae vehementer abusi sunt [9]), arctioribus finibus circumscribere. Crebrescebat enim tum Graecas per urbes licentia atque impunitas asyla statuendi; complebantur templa pessimis servitiorum; eodem subsidio obaerati adversus creditores suspectique capitalium criminum receptabantur. Nec ullum satis validum imperium erat coërcendis seditionibus populi, flagitia hominum ut caerimonias deorum protegentis [10]). Cui malo quo Achaia potissimum provincia, illo tempore cum Macedonia Moesiaque coniuncta ideoque non satis observata, vexata esse videtur, ut finem faceret, Tiberius civitates quae asyla statuendi iure praeditae essent, iura sua per legatos senatui accurate demonstrare iussit. Decretis quae allatorum documentorum ac tabularum auctoritate examinata senatus edidit, asyla nullomodo abolita sunt, sed multitudo tantum eorum circumcisa certisque legibus constitutum est, sub quibus conditionibus quis asyli beneficio uteretur [11]).

Deinde 23 *p. Chr.* Aegiensi civitati motu terrae acriter vexatae, immo labefactae, remissione tributi in triennium subventum est [12]). Denique 25 *p. Chr.* inter Lacedaemonios et Messenios de templo Dianae Limnatidis disceptantes quum Atidii Gemini Achaiae praetoris iudicium litigantibus non satisfecisset, Tiberius iudex factus templum Messeniis

---

7) Dion. Cass. 48, 39.; cf. Philostrat. vit. Apollon. VIII. 16.; Dion. Chrysost. XXXI. p. 346 sqq.
8) Boeckh. C. I. v. I. p. 313. nr. 181.; p. 366. nr. 264.
9) Catalogum urbium, quae asyli statuendi iure praeditae erant vid. Eckhel. D. N. IV. p. 306 sqq.
10) Tacit. Annal. III. 60. cf. IV. 14.
11) Tacit. l. c. 60—63.; cf. Sueton. Tiber. c. 37.
12) Tacit. Annal. IV. 13.

attribuit [13a]). Praeterea e numo quodam compertum habemus, Tiberium aliquando honoris causa a Corinthiis in numero duumvirorum habitum esse [13b]).

Deinde Caligula imperator, ut omnino mira impletus vanitate multa eiusmodi opera nova atque inaudita aut perfecit aut suscepit, etiam Isthmum Corinthium perfodere constituit. Neque vero id confectum est, quanquam princeps iam ad dimetiendum opus primipilarem Corinthum miserat [14a]). Porro traditum est, insanum tyrannum quo tempore ut deum Olympium sese adorari iussisset (40 — 41 *p. Chr.*) mandavisse, ut picturae et simulacra deorum arte et religione praeclara e Graecia Romam transportarentur, quibus capite dempto suum imponeret. Quod iussum ad Iovis maxime simulacrum Olympiae collocatum, clarissimum Phidiae opus pertinuit: quae statua ne Graecis eriperetur, et legatorum religione vel superstitione et principis sacrilegi morte praematura impeditum est [14b]), ac simili modo aliae eiusmodi iniuriae a Graecis depulsae esse videntur. Cupidinis quidem signum, antiquissimum Thespiarum decus idemque Praxitelis opus egregium, quod Glycera meretrix Thespiensis donum ab artifice receptum olim in patria collocaverat, Caligulae iussu Romam translatum, sed iam a Claudio imperatore Thespiensibus redditum est. Quae statua postea a Nerone iterum abducta et Romae incendio quodam deleta est [15]).

§. 3.

Claudio imperante Apollonius Tyaneius notissimus ille philosophus Athenas profectus est, (fortasse anno 49 *p. Chr.*), ubi Philostrato teste sapientia sua aliisque quibus excelluisse fertur virtutibus eandem movit admirationem, quam omnibus in urbibus, in quibus iam antea versatus erat. Qui

---

13a) Tacit. Annal. IV. 43.
13b) Eckhel. D. N. II. 243.
14a) Sueton. Calig. c. 21.
14b) Dion. Cass. 59, 28.; Sueton. Calig. c. 22. 57.; cf. Ioseph. Antiquitt. Iud. 19, 1, 1.; Pausan. V. 10, 2.
15) Strabon. IX. 2, 25. p. 410.; Pausan. IX. 27, 3.

quum invidi hierophantae superbiam ingenii sui praestantia fregisset, mysteriis Eleusiniis initiatus est: deinde non solum alter quasi Epimenides populum de sacrificiis edocuit, quae unicuique deorum grata acceptaque essent, sed etiam ut miracula taceam, quae edidisse fertur, quum Anthesterione mense Dionysia agerentur, Athenienses ob luxuriam et choreas muliebres mollesque et maxime ob certamina gladiatoria, Romanorum et Corinthiorum exemplo in Bacchi theatro facta, severa admonitione castigavit[16]. Philostrato si credimus Apollonii auctoritate commoti Athenienses hos ludos tum aboleverunt; quos posterioribus temporibus revera Athenis non factos esse, e Luciani loco[17] sequi videtur.

Multo gravioris autem momenti fuit, quod eodem Claudio imperante evangelium Iesu Christi primo in Graecia renuntiatum est: illo enim tempore primas inter Graecos radices egit lex atque doctrina Christiana, ex qua deorum Olympiorum cultu paullatim prorsus abolito non solum in medio aevo rerum Graecarum ratio et natura pendebat, sed quae etiam recentiore aetate Graecis sub Turcarum imperio fere oppressis praesidio fuit, quominus propriis suis moribus atque adeo nomine prorsus privarentur[18].

Anno enim 52 *p. Chr.* Paulus apostolus, quum iam antea Thessalonicae et Beroeae Macedoniae in oppidis evangelium renuntiasset, Athenas venit: qua in urbe cum Iudaeorum in scholis, tum idolorum adoratione offensus publice de deo ignoto, de Christi vita et praeceptis, de resurrectione et iudicio divino diserte locutus, sed a philosophis et a multitudine irrisus est. Omnino quum illo ipso tempore Athenae cultus antiquorum deorum tanquam arx ac superborum philosophorum Christianae doctrinae inimicissimorum sedes essent, non mirum est quod et illa et proxima aetate perpauci modo Atheniensium Christianam fidem professi sunt.

---

16) Philostr. vit. Apoll. IV. 17—22. p. 155—161. ed. Olear.

17) Lucian. vit. Demon. 57.; cf. Tacit. Ann. XIII. 31.

18) Quae Christianorum Graecorum primo et altero post Christum natum saeculo fata fuerint, clare exponitur ab Ellissen p. 34—44. 48. 49. 52. 54—58. 71—73.

Quos tunc Paulus ad Christi studium perduxit, eorum Dionysius Areopagita, qui postea primus Athenarum episcopus factus est[19]), et Damaris quaedam nominatim afferuntur. Deinde apostolus postquam Athenis, unde binas ad Thessalonicenses epistolas dederat, haud diu est commoratus, Corinthum perrexit; quae urbs quum et colonia esset et emporium neque sacris antiquissimis colendis dedita, Christianae doctrinae propagandae multo opportunior fuit Athenis[20]). Ubi Paulo quum primum in synagoga Iudaeorum, quorum hîc et Patris permulti habitabant, sabbato de bibliorum sacrorum vaticiniis verba fecisset, Iesum Christum Messiam professus, mox contigit ut magnum et Iudaeorum et Graecorum numerum sibi conciliaret. Quamvis vero octodecim per menses nullo modo impeditus esset, ne evangelio renuntiando operam daret, tandem Iudaei propter Crispi *synagogae* praefecti eiusque familiae ad Christianam fidem transitum irati Paulum in iudicium ad Gallionem deduxerunt et dei cultum quendam legi contrarium docere eum criminantes, ut homo turbulentus ac rerum novarum studiosus poenas daret a proconsule postulaverunt. Gallio autem indicta causa accusatores repulit, quia rem non nisi ad Iudaeorum doctrinam et praecepta pertinere eamque sibi non esse diiudicandam censuit. Ex quo Paulus in Christiana doctrina divulganda diu perseveravit nec prius Corintho decessit (54 *p. Chr.*), quam Christianorum copiam doctrinae suae conservandae et propagandae sufficere maxime persuasum haberet[21]).

---

19) Euseb. Hist. Eccles. III. 4. IV. 23.; Niceph. Callist. Hist. Eccl. III. 11.

20) Cf. Euseb. Hist. Eccl. IV. 23.

21) Act. Apostolorum c. XVII—XVIII. 18. Postquam Paulus eiusdemque socii primo in Achaia versati sunt, non Corinthi solum Athenisque, sed etiam aliis in oppidis, ut Patris et Spartae Euseb. IV. 23., parvi Christianorum conventus exorti esse videntur: qui quum ad optimas leges constituti essent, mox satis corroborati ac firmati sunt. Christiani autem quum modeste sese haberent et numero non valerent, initio Romanis magistratibus non erant suspecti: quare illorum vexationes a Nerone et Domitiano imperatoribus instructas aut nullo modo aut leviter tantum Graeciam attigisse pro certo habendum sit

§. 4.

Deinde Nerone imperante Achaiae memorabile aliquod contigit. Nero enim ut erat non modo crudelissimus tyrannus sed etiam dignitatis imperatoriae plane immemor, in Achaiam profectus est summa cupiditate incensus, ut artis scenicae et gymnasticae peritia sua etiam extra Italiae fines admirationem moveret. Suetonio autem teste ut in Achaiam iret eo maxime commotus est, quod civitates Graecae apud quas musica certamina edi solebant, omnes citharoedarum coronas ad Neronem mittere instituerant. Quas adeo grate recepit, ut legatos

---

Quanquam Domitiano imperante Dionysius ille Areopagita Athenis igni crematus esse dicitur Euseb. IV. 23.; cf. Ellissen p. 48. not. 2.; eodem fere tempore (*a.* 93 *p. Chr.*), quo S. Anacletus episcopus Romanus Athenis oriundus Romae pro re Christiana mortuus est; vid. Ellissen. p. 49. Deinde quum Traiano imperante Graeci a sacerdotibus potissimum concitati furorem omnem in Christianos effunderent, etiam S. Poplius sive Publius, qui Dionysio episcopo successisse fertur, Athenis interfectus esse videtur Euseb. III. 32 sqq. IV. 23.; cf. Elliss. p. 52. Secundo enim post Christum saeculo quum iam maiores Christianorum conventus, maxime Thessalonicae, Larissae, Athenis, Corinthi, Lacedaemone et in Creta Cyproque insulis exstitissent, gentiles Christianis inimicissimi eo saevitiae progressi sunt, ut qualicunque poenarum genere eos opprimere studerent. Quod quidem nonnullis conventibus maximae perniciei fuit: ita Christiani Athenienses Publii morte vehementer perterriti ac fere dissipati sunt; qui ut cohiberentur, non nisi studio ac fide S. Codrati sive Quadrati, qui Publio successit, effectum est. Qui et ipse una cum Aristide philosopho quodam Christiano Hadriano imperatori Athenis hiemanti (*anno* 122 *vel* 125 *p. Chr.*) praeclaram Christianae doctrinae apologiam tradidit, qua principi persuasit, ut Christianis vexandis absisteret. Euseb. H. E. IV. 3. 23.; Chron. ad Ol. 226. ed. Aucher. II. p. 283.; Syncell. Chron. ed. Par. p. 248 c.; Hieronym. Chron. a. Abr. 2141. Catal. Scriptor. Eccl. 19. 20. Epist. 84.; Nicephor. Callist. H. Eccl. III. 21. Contra Antoninum Pium Christianos Graecos, maxime Atticos, liberaliter habuisse et ab iniuriis magistratuum Graecorum tuitum esse, ex epistola patet apologetica Melitonis Sardium episcopi ad Marcum Aurelium et L. Verum principes data, quam Eusebius exhibet. Quibus litteris Vero in memoriam reducitur, Antoninum Pium, quo tempore iam ab illo Caesare in administrando imperio adiutus esset, Larissaeis, Thessalonicensibus, Atheniensibus, omnino civitatibus Graecis vetuisse, ne novi quid contra Christianos molirentur. Euseb. H. E. IV. 26.

qui pertulissent, non modo omnium aliorum primos admitteret, sed etiam familiaribus epulis interponeret. Deinde quum quidam ex his eum, ut cantaret super coenam, quondam rogassent et cantantem magno plausu excepissent, „solos scire audire Graecos solosque se et studiis suis dignos esse" locutus illico in Graeciam proficisci constituit et iam eiusdem anni (66 *p. Chr.*) auctumno Cassiopen Corcyrae in urbem traiecit, ubi statim ad aram Iovis Cassii cantare auspicatus est [22 a]).

In Achaia quidem Nero usque ad anni 68 *p. Chr.* initium versatus est. Stipatus et magna caterva sociorum artis suae scelerumque et ab Augustanis, quinque millium et equitum et plebeiorum manu [22 b]), qui in plausu modulate edendo exerciti erant, quum „*Περιοδονίκης*" celebrari concupisceret, certamina obiit omnia, potissimum Olympia, Pythia et Isthmia, Cluvio Rufo consulari praecone usus. Quod consilium ut exsequi posset, certamina illa quamvis diversissimorum temporum essent, omnia in unum annum cogi atque adeo quaedam iterari iussit. Accedit quod Olympiae et in Isthmiis praeter morem et consuetudinem musicum quoque certamen commisit et citharoedus, tragoedus et comoedus in scenam prodiit. Sed ne in his quidem nugis acquievit princeps, sed etiam omnia ludorum genera in conspectu Graecorum exercuit: utpote qui currus quoque agitaret nec denique victorem sese ipse pronuntians praeconio ubique contendere dubitaret. Praeterea omnes civitates, Sparta tantum atque Athenis exceptis, circumiens singulos quoque artifices inclytos adiit, quibuscum de palma certaret. Neque vero mireris quod ubique victor pronuntiatus est: qui quanquam Olympiae in aurigando curru excussus ante decursum destiterat, nihilo secius coronatus est. Ineptias vero Neronis cum comites sui Romani, tum maxime Graeci turpissima adulatione assuetissimi ubique ingenti plausu et clamore prosecuti sunt; neve cuius alterius hieronicarum memoria aut vestigium usquam exstaret, subverti et unco trahi abiicique in latrinas omnium statuas et imagines Nero iussit.

22a) Sueton. Nero. c. 22.

22b) Dion. Cass. 63, 8. cf. 61, 20.

Hac Graecorum adulatione vehementer delectatus Nero non solum certaminum iudices civitate Romana et grandi pecunia, sed etiam totam provinciam libertate donavit; **67 *p. Chr.*** Quae beneficia e medio stadio Isthmiorum die praeconis instar sua ipse voce pronuntiavit; quod eodem loco ducentis sexaginta tribus annis ante pugna ad Cynoscephalas pugnata (196 *a. Chr.*) T. Quinctius Flamininus per praeconem exegerat[22c]).

Quo facto Nero Isthmum quoque Corinthium perfodere conatus est, quod neque Iulius Caesar neque Caligula perfecerant. Atque quum operae portentis perterritae opus adire nollent, ad Lechaeum praetorianos pro concione ad inchoandum opus cohortatus signo tuba dato primus rastello humum effodit et corbulae congestam humeris extulit princeps. Sed quamvis ad fossam conficiendam homines undique *compellerentur*, tamen opus non perfectum est: Nero enim *quattuor* stadiorum spatio perfosso abstitit incepto, quum iam Philostrato teste timeret, ne vel mare Corinthium superfluens Aeginam insulam inundaret vel Graeci superstitiosi re nova atque inaudita turbati seditionem moverent[23]).

Libertatis quidem beneficium sceleribus iniuriisque quibus Nero et antea et tum Graecos vexavit, longe superatum est. Qui tam ad libidinem suam explendam ne honestissimarum quidem familiarum dignitati pepercit, quam pecuniae sibi comparandae causa privatos, civitates, ipsa deorum templa im-

---

22c) Plut. Flaminin. c. 12.; Pausan. VII. 17, 2.; Dion. Cass. 63, 8—11. 14.; Sueton. Nero. c. 22—24.; Plin. h. n. IV, 10.; Philostr. vit. Apoll. V. 41. p. 225. ed. Olear.; Lucian. Nero. c. 9. Euseb. Chron. ed. Auch. p. 273.; Liv. 33, 32. Cf. Merleker. p. 462. „Neronem profectum in Achaiam, ut currus agitaret et in theatris caneret, etiam ex eius moneta discimus;" cf. Eckhel. D. N. II. p. 242 sqq. „In honorem Neronis liberatoris Corinthii et Patrenses, hi Neroni maxime addicti, quanquam iam diu liberi erant, et Iovem liberatorem (*Δία ἐλευθέριον*) in moneta sua extulerunt et copiosos cum Neronis effigie numos excuserunt, quorum permulti adhuc superstites sunt." Eckhel. l. l. II. p. 242. 243. et 256. 257.; cf. Spanhem. Orb. Roman. p. 252.

23) Sueton. Nero. c. 19.; Dion. Cass. 63, 16.; Philostrat. vit. Apoll. IV. 24. p. 162.; Vit. Sophist. II. 1, 7. (Herod.) p. 551. 552.; Plin. h. n. IV. 5.; Lucian. Nero. c. 1.

pudentissime spoliavit atque adeo saevissimas virorum, mulierum, puerorum caedes perpetravit. Deinde infaustis deo offensus vaticiniis, Apollinis templo, quanquam Pythiam paullo ante magna pecunia donaverat, agrum Cirrhensem eripuit eoque inter milites suos distributo oraculum sustulit, multis sceleribus additis[24]). Denique tyrannus ut iam antea Romanorum et privati et magistratus saepius opera et artificia Graeca rapuerant[25]), et ipse Graecas urbes impudentissime ornamentis privavit. Qui iam post incendium Romae urbis Acratum ac Secundum Carinatem in Asiam et Achaiam miserat (64—65 *p. Chr.*), qui permulta et donaria et simulacra auferrent, quibus domus aurea ornaretur[26]): quo tempore Delphis, Olympia et ex ipsa Athenarum acropoli, quae regiones simulacrorum multitudine excellebant, magna ornamentorum copia abducta est[27]).

Nihilominus autem inter Graecos fuere, qui cives suos in iudicium vocarent, „quod Neronis cantui aures aut negligenter tantum aut prorsus non praebuissent; quod principi, nisi quidem eo audaciae processissent, ut ei illuderent, plausum non dedissent vel quoque omisissent, sacrificia diis offerre ut vox Neronis clarior ad Pythium ascenderet"[28]).

Neque tamen Nero ob matris caedem Eleusiniis sacris, quibus initiari Augusti exemplo studuit, interesse ausus est, quum eorum initiatione impios et sceleratos praeconis voce summoveri comperisset[29]), neque Athenas adiit Eumenidarum metu deterritus, quas summa veneratione hac in urbe coli probe sciebat[30]).

---

24) Dion. Cass. 63, 11. 13. 14.; Philostr. vit. Apoll. V. 7. p. 193. 214.

25) cf. Cic. de provinc. consular. c. 4.

26) Tacit. Annal. XV. 45.

27) Dion. Chrysost. or. 31. (Rhodiac.) p. 355 a. ed. Morell.; cf. Paus. X. 7, 1. V. 19, 1. 25, 5. 26, 3. Nihilominus Graeciam, maxime Athenas, statuis aliisque ornamentis uberrime abundavisse et e Plin. h. n. 34, 17.; et e copiosis aliorum scriptorum locis clare elucet; vid. Zinkeisen. p. 542. not. 1.; cf. Leake. p. 36–38.

28) Philostr. vit. Apoll. V. 7. p. 215. ed. Morell.

29) Sueton. Nero. c. 34.

30) Dion. Cass. 63, 14.

§. 5.

Libertas qua Nero Graecos donavit qualis fuerit, satis lucide perspici nequit. Sive Achaiae tributum remisit princeps, quod ex iis quae Pausanias prodit[31]), concludi possit, sive omnibus Graecis concessit, ut suis iuribus uterentur suisque legibus viverent, id unum certe constat, Neronem magnis laudibus, quibus ob illud beneficium a Pausania, Plutarcho[32]) ac potissimum a Philostrato effertur, nullo modo fuisse dignum. Quem quidem scriptorem quum „Graecas civitates libertatis dono ad Atticos Doricosque mores reductas summa concordia et felicitate floruisse" affirmet, non nisi flosculo declamatorio usum esse, vix sit qui neget[33]). Immo Graecos tunc libertate indignissimos Neronis dono vehementer abusos esse, inde patere videtur, quod iam Vespasianus imperator, quum patrio more seditionibus laborarent *quumque* et civitates antiquas inimicitias renovarent et singuli cives iudiciis mutuum sibi afferrent detrimentum, Achaiae libertatem adimendam esse censuit. Itaque postquam „Graecos libertate uti dedidicisse" cognovit, vectigali iis imposito magistratibus Romanis parere denuo eos coëgit (anno 75 *p. Chr.*)[34]). Quare fieri non potuit quin Graeci hanc principis severitatem, quam iniquissimam esse iudicabant, aegerrime ferrent: neque mireris quod Vespasianus Graecis semper offensus invisusque

31) Pausan. VII. 17, 2.

32) Plut. de sera numinis vindicta. Mor. Vol. I. p. 567 f.

33) Philost. vit. Apoll. V. 41. p. 225.

34) Phil. l. l. V. 7. 41. p. 225. cf. IV. 33.; Pausan. VII. 17, 2.; Plut. reipubl. gerend. praec. 10. 19. Mor. Vol. I. p. 804 d.—805 d. 814 f.—815 e.; Suet. Vespas. c. 8.; Spartian. vit. Hadrian. c. 12.; Eutrop. VII. 19.; Oros. VII. 9. „Quisquis fuit rei monetariae cum libertate nexus, istud certum, nullum hactenus conspectum sive Corinthi sive Patrarum numum Vespasiano et Tito imperantibus signatum. Succedit Domitiani numus, qui per epigraphen „PERmissu IMPeratoris" invicte probat, ademtum Corintho feriundae monetae ius a Domitiano redditum esse; et revera copiosos iterum utriusque coloniae habemus numos eo imperante percussos. Quod quidem benevolentiae argumentum in causa fuisse videtur, cur in Domitiani gratiam Corinthus „Flaviae" cognomen sibi adsciverit." Eckhel. l. c. II. p. 243.

fuerit[35]), quum praeterea id quod de imperatoris avaritia auctisque provinciarum tributis Suetonius tradit, ad Achaiam inprimis spectare videatur[36]).

Quanquam morientis libertatis vestigia etiam tum manebant: nam pro certo habendum est, Vespasianum iis tantum civitatibus libertatem ademisse, quae iam ante Neronem Achaiae provinciae rectoribus subditae fuerant. Ut alias liberas civitates taceam, Athenas quae Neronis quoque aetate liberae fuerunt, a Vespasiano libertate sua non privatas esse[37]) contra Meursium et Corsinum Ahrens tam firmis argumentis demonstravit[38]), ut eorum qui Nervam Atheniensibus libertatem a Vespasiano ereptam reddidisse contendunt, opinio pro nihilo ducenda sit. Omnino pro certo sumendum est, Atheniensium libertatem, qua quidem utebantur, ad finem usque secundi post Christum saeculi non turbatam esse: quanquam negari nequit, Athenienses cum hoc tempore, tum maxime sequente aetate a iurisdictione magistratuum Romanorum, praecipue Achaiae proconsulum non plane exemptos fuisse[39]). Posterioribus enim temporibus imperatorum voluntate libertas omnium civitatum liberarum imminuta est, eo potissimum instituto ut criminum praecipue iudicium ad magistratus Romanos deferretur[40]). Neque vero proconsulum cura custodiaque Athenis incommodo fuit, quippe qua prohiberetur ne multitudo ob paupertatem turbulenta ac rerum novarum studiosissima reipublicae quietem turbaret.

---

35) Cf. Philostr. l. l. V. 41. Apollonii Tyaneii epistolas ob libertatem Achaiae ereptam ad Vespasianum datas; „*Νέρων τοὺς Ἕλληνας παίζων ἠλευθέρωσε, σὺ δὲ αὐτοὺς σπουδάζων ἐδουλώσω*".

36) Sueton. Vespas. c. 16.; cf. Dion. Chrysost. p. 101. ed. Morell.

37) Plin. h. n. IV. 11: Epist. VIII. 24, 4.; Dion. Chrysost. XXXI. p. 342 d. sqq.; Aristid. *Ῥώμης ἐγκώμιον*. p. 392. Panathen. p. 319. Athenas quidem revera ex arbitrio Romanorum plane pependisse, clare elucet e Plut. reipublic. ger. praec. 17. Mor. Vol. I. p. 813 sqq. cf. 32. p. 824. De Thespiarum, Tanagrae, Pharsali hoc tempore libertate cf. Plin. h. n. IV. 12. 15.

38) Meursius de fort. Athen. 10. p. 1747. T. V. Gronov.; Corsini F. A. IV. p. 158 sqq. II. p. 254.; Ahrens p. 14. 19.

39) Philost. vit. sophist. II. 1, 2. 10, 3.; cf. Corsini F. A. I. p. 46.; Boeckh. C. I. vol. I. nr. 355.

40) Dirksen Civilistische Abhandl. II. p. 122.

Ceterum de Graecorum fatis, qualia sequentium imperatorum tempore fuerunt, paucissima tantum accepimus. Domitianus quidem, saevus tyrannus, sed non indoctus, ut omnium deorum Minervam maxime coluit, ita urbem quoque huius deae valde amasse dicitur. Primus enim imperatorum Athenis imperii sui anno tertio decimo (93 *p. Chr.*) archontis eponymi magistratu functus est[41]), quum Phlegonti Tralliano si credere licet, tertio huius principis anno (83—84 *p. Chr.*) Athenis „ἀναρχία" fuisset i. e. nullus archon eponymus creatus esset[42]). Quod quomodo hoc tempore, ubi de turbato civitatis statu nihil memoratur, fieri potuerit explicari nequit.

Deinde Nervam in causa quadam Attici Marathonii, Hipparchi filii civis Atheniensis, diiudicanda eximiam abstinentiam ac liberalitatem praestitisse traditum est: quo factum est ut postea Herodes Attici illius filius immensis divitiis elatus in republica Atheniensium administranda maxime floreret[43]).

Porro Traianus qui omnino summa humanitate excelluit ac plurima beneficia in totum imperium Romanum contulit, maxime Achaiam benevolentia prosecutus esse videtur. Quibus praeceptis in rebus Graecis administrandis usus sit, colligere licet ex epistola a Plinio Secundo, Traiani amico, ad Maximum data, quem princeps ad ordinandum statum cum provinciae tum praecipue liberarum civitatum in Achaiam miserat.

„Cogita" — sic Plinius Maximo in Graeciam proficiscenti scribit, „te missum in provinciam Achaiam, illam veram et meram Graeciam, in qua primum humanitas, litterae, etiam fruges inventae esse creduntur; missum ad ordinandum statum liberarum civitatum, id est, ad homines maxime homines, ad liberos maxime liberos, qui ius a natura datum virtute, meritis, amicitia, foedere denique et religione tenuerunt." — — „Nihil ex cuiusque dignitate, nihil ex libertate, nihil ex iactatione decerpseris. Habe ante oculos, hanc esse terram,

---

41) Philostr. vit. Apoll. VIII. 16. p. 360.; cf. Corsini F. A. IV. p. 162 sqq.

42) Phlegon. Mirabil. c. 22.

43) Philostr. vit. sophist. II. 1, 2. p. 548 sqq. ed. Olear.

44) Plin. Epist. VIII. 24. Hic Maximus fortasse idem fuit Paullus Fabius Maximus, cui populus Atheniensis illo tempore statuam posuit. Boeckh. C. I. vol. I. pag. 911. nr. 370 b.

quae nobis miserit iura, quae leges non victis sed petentibus dederit; Athenas esse quas adeas; Lacedaemonem esse quam regas: quibus reliquam umbram et residuum libertatis nomen eripere durum, ferum barbarumque est"[44]).

Munus autem talium praefectorum liberarum civitatum ordinandarum causa in provincias missorum fuit, ut civitatum iura accurate describerent et quae ipsis noxia esse viderentur aut imperatoribus Romanis minus placerent, removerent. Sub imperatoribus enim liberarum civitatum privilegia in dies imminuta sunt, praecipue ubi ipsarum civitatum salus id postulare videbatur. Simili modo ut tum Maximus Graeciae, postea Hadriano imperante Herodes Atticus inde ab anno 125 p. Chr. Asiae minoris liberis civitatibus praefuit[45]).

Traianus qui sexto decimo imperii sui anno (114 *p. Chr.*) Athenis Osrois Parthorum regis legatum excepit[46]), Mothonae quoque Messeniae urbi libertatem concessit[47]) et Olympiam summa liberalitate exornavit: quo summum provincialium amorem sibi conciliavit. Cuius in honorem universi Graeci communi consilio et sumptu, ut antea Augusto, Parii lapidis statuam Olympiae erexerunt[48]).

---

45) Philostr. vit. soph. II. 1, 3. p. 548 sqq. ed. Olear.

46) Dion. Cass. 68, 17.

47) Pausan. IV. 35, 2.

48) Pausan. V. 12, 4 sqq. De statuis templisque a Graecis imperatoribus et cognatis eorum dedicatis vid. G. Zinkeisen. p. 561. not. 3.

CAPUT III.

A. p. Chr. 117—180.

§. 1.

Hadriani atque Antoninorum aetate res Graecorum, antiqui splendoris specie per principes renovata, postremum aliqua ex parte florebant, priusquam temporum iniquitate atque atroce saevissimorum barbarorum vastatione reliqua *earum* dignitas et splendor prorsus delerentur. Illi enim imperatores, inprimis Hadrianus, antiquae Graecorum gloriae studiosissimi maxime operam dederunt, ut civitates plerumque debilitatas fractasque reficerent et corroborarent, nec minus artibus litterisque maxime Atheniensium summa liberalitate semper faverunt. Quo factum est ut hoc tempore non solum architectura aliaeque artes ei finitumae eximie colerentur, sed etiam philosophorum Atheniensium scholae frequentia et auctoritate valerent, qua per longum tempus caruerant. Athenae quidem ab Hadriano potissimum, quem maxima vanitate et in quaque re excellendi cupidine praeditum et Graecorum adulationis avidissimum fuisse scimus, omni modo adiutae et sublevatae sunt: quanquam et novum urbis florem a sophistis tantum cum antiqua eius gloria comparari potuisse[1]), et permultorum institutorum ac donorum causam non nisi e vanitate Hadriani repetendam esse, vix negari potest.

Iam vero plurima eorum quae de hoc tempore nobis tradita sunt, ad peculiarem Athenarum historiam pertinent; quae quidem quum aut maximam partem ad artium litterarumque historiam referenda aut a viris doctis saepius accuratissime descripta sint, in hoc libello paucis tantum verbis afferentur

1) Aristid. Panathen. I. p. 319.

At vero ne ea quae Hadrianus in Graecia, maxime Athenis gesserit, cuiusque anni ordine accurate observato exponamus, eo impedimur quod scriptores vel inter se vehementer repugnant vel negligentia sua rem perturbaverunt [2]); quare quidquid benevolo animo imperator in commodum Athenarum urbis dilectissimae exegerit lucide componere satis habemus. Qui quidem id maxime egit, ut civilem reipublicae statum firmaret, philosophorum scholas adiuvaret, urbem denique et amplificaret et clarissimis aedificiis ornaret.

Postquam iam semel Caesar Athenis versatus est, idem imperator factus quum bis in provincias orientales iter moveret, quater Athenas adiit terque diutius ibi moratus esse videtur: neque vero tum imperatorem, sed M. Antonii exemplum secutus civem Atticum sese gessit. Ut iam Traiano imperante (112 *p. Chr.*) summo Athenarum magistratu functus erat [3]), etiam imperio impetrato archontis eponymi dignitatem iterum accipere (135 *p. Chr.*) et, id quod archontis munus erat, „ἀγωνοθέτης" sacros ludos habere non dedignatus est; certe Dionysia splendidissime celebravit Atticam vestem indutus [4]). Praeterea congiariis et frumentationibus populi inopiam sublevare studuit atque adeo, Palensibus tantum exceptis, Atheniensium civitati Cephaleniam insulam donavit, cuius vectigalia in aerarium illorum redirent [5]).

---

2) Cf. Salmas. ad Spartian. vit. Hadrian. c. 12. p. 32.; Corsini F. A. II. p. 109. IV. p. 167. In „Fastis Achaicis," in quibus Hadriani res gestas ad certum temporum ordinem composui, Clintoni auctoritate confisus sum (Fast. Roman. p. 96. 108. 110. 114. 124.), qui temporum rationem ab Eusebio exhibitam sequitur (Chron. ad Olymp. 225—227. ed. Aucher. II. p. 283 sqq.). Quae etsi iis congruit, quae Cassiodorus prodit (Chron. ed. Frcft. p. 351 sqq.), neque cum Dionis Cassii ac Spartiani narrationibus neque cum rerum gestarum ordine, quem apud Georg. Syncellum (Chronogr. ed. Par. p. 348 sqq.) invenimus, conciliari potest; cf. Ellissen. p. 58. not. 1.

3) Phlegon. Mirabil. c. 25.; Corsini F. A. II. p. 105.

4) Spartian. vit. Hadrian. c. 9. 12. 19.; Dion. Cass. 69, 16.; cf. Corsini F. A. II. p. 106. IV. p. 171.

5) Dion. Cass. 69, 16.; Boeckh. C. I. vol. I. p. 415. nr. 340. cf. vol. II. p. 293. De ratione quae inter Palenses et Athenienses intercesserit vid. Ahrens. p. 63.

Deinde Draconem et Solonem imitatus non solum multa quae contra ius fasque in republica Atheniensium increbruerant, abolevit, sed etiam novas easdemque saluberrimas leges praeceptaque civitati dedit[6]). Quarum legum una potissimum de oleo exportando, re gravissimi momenti apud Athenienses, in ipso marmore nobis servata est. Qua lege non reipublicae tantum olei mercatura concessa est, nam et olearum cultura et olearium commercium privatis libera manserunt, sed beneficio civitatis constituit Hadrianus, ut tertiam messis oleariae partem agricolae reipublicae redderent atque ita publico olei usui provideretur. Quum enim oleum Atticum inprimis nobilitatum esset, verendum fuit ne aucta exportatione deficeret oleum publicis necessitatibus gymnasiorum, ludorum, balnearum, sacrorum, prytanei, quibus hoc decreto prospectum est. Ceterum illa portio olei non vectigalis loco pendebatur, *sed* pretium pro ea usitatum agricolis redditum est[7]). *Praeterea* vetuit imperator, ne quis senatorum aut ipse aut sub alieno nomine vectigalia conduceret[8]). Deinde Hadrianus philosophos et sophistas quibus urbs tum unice florebat, omni modo honoravit et donis auxit, quanquam ipsa professorum salaria nondum instituit[9]). E quibus, ut homines obscuriores omittam, praeter Favorinum academicum Arelatensem inprimis Herodes Atticus et Publius Hordeonius Lollianus Ephesius sophistae digni sunt qui commemorentur. De illo quidem postea dicendum erit; hic vero et arte sua rhetorica, quam professus Antoninorum aetate primus omnium rhetorum Atheniensium firmam mercedem accepit[10]), summam gloriam urbi comparavit, et quum *στρατηγὸς ἐπὶ τῶν ὅπλων* creatus esset, liberalitate sua pauperes cives saepissime sublevavit[11]).

6) Ita fortasse mirum illud: „*αὐτὸς Ἀθηναίοις ἀξιώσασιν ἐκ τοῦ Δράκοντος καὶ Σόλωνος νόμους ἐπισυνέταξεν*" explicandum sit, quod exhibet Eusebius Chron. ed. Aucher. p. 283. cf. Cassiodor. (Chron. imp. Hadr. coss. Ver. et Ambig.) et Syncell. p. 349 a.

7) Boeckh. C. I. vol. I. pag. 426. nr. 355.

8) Dion. Cass. 69, 16.

9) Cf. Ahrens. pag. 71—74.; Spartian. vit. Hadrian. c. 17.

10) Philostr. vit. soph. p. 526.

11) Cf. Ellissen. pag. 67—71.

Denique Hadrianus imperii sui ac nominis monumentum „aere perennius" eo sibi constituit, quod Athenas iam pulcherrimis aedificiis repletas etiam pluribus egregie ornavit. Praeter Iunonis et Iovis Panhellenii et omnium deorum templum et gymnasium et bibliothecam et alia aedificia[12]) Olympieum, quod ne Augusti quidem tempore communi regum Asiaticorum opera ad finem perductum erat, tandem aliquando splendidissime perfecit, sexcentis quinquaginta annis postquam Pisistratus hoc opus inchoaverat[13]). Denique in spatio inter orientale ac meridianum arcis latus et Ilissum fluvium interiecto prope Olympieum novum urbis vicum exstruxit, quem ex suo nomine appellavit Hadrianopolim[14]).

Neque vero Hadrianus in Athenis tantum sublevandis et exornandis acquievit: quem cum ceterorum quoque Graecorum res beneficiis suis restituere studuisse nonnulli scriptorum *loci docent*[15]), tum in permultis Achaiae regionibus aedificia aut urbium splendorem aut usum publicum spectantia exstruxisse Pausanias tradit. Ita non solum Megaris, quanquam soli huius urbis incolae ne ab Hadriano quidem sublevati esse dicuntur, Apollinis aedem priscam laterculis exstructam e candido lapide restituit[16]), Corinthi impensa sua balneas[17]), prope Mantineam Neptuni equestris templum[18]), Abis in Phocide fanum Apollinis[19]), Hyampoli porticum exaedificavit[20]), sed etiam Scironiam viam periculosam Megaris Corinthum ducen-

---

12) Pausan. I. 18, 9. 20, 4.

13) Pausan. I. 18, 6—8.; Dion. Cass. 69, 16.; Spartian. vit. Hadrian. c. 12 sqq.; Philostr. vit. soph. I. 25, 3. p. 533.; cf. Boeckh. C. I. vol. I. nr. 331.

14) Vid. Boeckh. C. I. vol. I. p. 480 sqq. nr. 520.; Salmas. ad. Spart. 10, 8.; Leake Topogr. p. 204—210. Müllers Zus. p. 459. e schol. ad Aristid. p. 69. ed. Frommel.

15) Muratori Inscr. CCXXXVI, 6. „(Hadrianus) Πανελλήνιος νομοθέτης καὶ τροφεύς." cf. Pausan. I. 3, 1. 5, 5. 36, 3.

16) Pausan. I. 42, 5. cf. 36, 3.

17) Pausan. II. 3, 5.

18) Pausan. VIII. 10, 2.

19) Pausan. X. 35, 3.

20) Pausan. I. 1. 4.

tem eo usque dilatavit, ut per eam duo obvii currus agi possent[21]), et fontem quendam agri Stymphalici aquaeductu Corinthum usque in urbem deducendum curavit[22]).

Sed quanquam Hadriano contigit ut opera sua in Achaia Athenisque et artes efflorescerent et multitudinis inopia, quae ab ingentibus divitiis nonnullorum locupletiorum et ab aedificiorum publicorum splendore vehementer discrepuit, aliquo modo sublevaretur, tamen nec beneficiis suis pristinum rerum Graecarum florem nec Panhelleniorum festo virtutem ac dignitatem maiorum, quorum memoriam iam rhetores tantum et sophistae tumidis sermonibus celebrabant, redintegrare potuit. Hadrianus enim Iovis Panhellenii templo Athenis exstructo „Panhellenia" festum ludumque tanquam conventum omnium Graecorum instituit, quo singulae Graecorum et Asiae et Europae civitates legatos miserunt[23]), „*Πανέλληνας*"[24]). Athenas praesidio Panhelleniorum praeditas fuisse inde colligas, *quod* non solum Hadriano imperante Herodes ille Atticus (anno fortasse 137 *p. Chr.*) et Panathenaeorum et Panhelleniorum praesidii munere, *Ἑλλαδάρχης τῶν Ἑλλήνων*, functus[25]), sed etiam multis annis post sub Commodo imperatore Rufus quidam Perinthius, sophista Atheniensis, eadem dignitate ornatus est[26]). Id profecto dubitari nequit, quin Athenae novo hoc beneficio quasi caput et arx totius Graeciae factae sint. Nihilosecius tantum abfuit ut exigua Megara pristinum Athenarum odium abiicerent, ut ridicula vanitate elata etiam Hadriano imperante hunc illius urbis principatum ferre nollent et Marci demum Byzantini sophistae opera cum Atheniensibus reconciliari possent[27]).

21) Pausan. I. 44, 10.

22) Pausan. VIII. 32, 3. cf. II. 3, 5.

23) Dion. Cass. 69, 16.; Philostr. vit. soph. II. 1, 5 init.; cf. Boeckh. C. I. vol. I. p. 417. 789. vol. II. p. 580. cf. I. p. 564. nr. 1068. p. 566. nr. 1072. Hoc festo priscum quoddam eiusdem nominis institutum, quod in Aegina insula fuerat, renovatum est; cf. Müller Aeginet. p. 157. Boeckh. l. l. I. nr. 351.; de aliis eiusmodi institutis, quae prioribus temporibus viguerant cf. Kuhn p. 133 sqq. not. 611—614. et Boeckh. l. c. nr. 1720.

24) Boeckh. C. I. vol. I. nr. 351. 484. 1058. 1124. 1192. et al. loc.

25) Philostr. vit soph. II. 1, 5. p. 549.

26) Philostr. V. S. II. 17.

27) Philostr. l. c. I. 24, 3 sqq. p. 529.

Pro tot tantisque Hadriani in se meritis Graeci imperatorem omni modo honorare studuerunt [28]): ita Abeates Messenii „κατὰ τὸ τῶν Ἀχαιῶν δόγμα" monumentum [29]), nec minus urbes Achaici conventus Olympiae marmoream statuam illi erexerunt [30]). Mantinenses autem, qui Hadriani iussu Antigoneae nomine abiecto priscum urbis suae nomen receperant [31]), memoriam Antinoi iuvenis ab imperatore dilectissimi Nili fluctibus obruti, cuius aedem Hadrianus Mantineae exstruxerat, annuis initiis et ludicro quinquennali celebraverunt [32]).

Athenienses autem ut plurimis ab Hadriano beneficiis ornati erant, ita non simplici modo ei gratias agere susceperunt. Quare nova tribus, Adrianis, in honorem principis instituta, id quod olim in honorem Antigoni et Demetrii Poliorcetis, tum Ptolemaei et Attali factum erat, atque statua imperatoris inter simulacra heroum eponymorum, a quibus nomina acceperunt tribus, collocata est [33]). Praeterea Hadriani tribui ex aliarum demis Eleusina, antea Hippothoonti adscriptam, addiderunt, quam urbem quum paullo ante Cephissi fluminis inundatione valde turbata esset, imperator 122 *a. p. Chr.* catarractis ab eiusmodi calamitatibus in posterum tueri studuerat [34]); ubi tribus annis post Hadrianus Augusti exemplo mysteriis initiatus est [35]). Quin etiam eo adulationis Athenienses progressi sunt, ut non solum inde a primo Hadriani itinere Athenas facto (112 *p. Chr.*) novam aeram inciperent atque si

28) Cf. Hermann. l. c. §. 190. not. 14.

29) Boeckh. C. I. vol. I. nr. 1307.

30) Pausan. V. 12, 4.

31) Pausan. VIII. 8, 6.

32) Pausan. VIII. 9, 4.

33) Pausan. I. 5, 5; Philostr. V. S. II. 10, 3. p. 588. De iis quae simul cum nova tribu instituta in republica Atheniensium mutata sint et de restituto quingentorum senatorum numero cf. Paus. l. l. 1. cf. 3. 4. Boeckh. C. I. vol. I. nr. 320. 361. 372. 380. 381. 480. p. 165. nr. 123. p. 902; Hermann. l. c. §. 176. n. 21; Ahrens. p. 29 sqq.

34) Georg. Syncell. Chronograph. ed. Par. 349. a; cf. Ellissen. p. 64. not. 1.

35) Dion. Cass. 69, 11; Euseb. Chron. ad Olymp. 226; Hieron. Chron. Olymp. 227, 3.; Syncell. p. 278; Spart. vit. Hadr. c. 13; Boeckh. l. l. p. 458. nr. 434.

Corsinum sequi licet, per certum temporis spatium in honorem principis Boëdromionem mensem quo mysteriis initiatus erat, pro Hecatombaeone primum anni mensem haberent[36]), sed etiam imperatorem quum Olympieum perfecisset, in hoc templo una cum Iove ut Olympium divinis honoribus colerent et servatoris conditorisque („σωτῆρ καὶ κτιστῆς") aliisque nominibus appellarent[37]).

Sic Hadriano imperatore Athenienses antiqui decoris et gloriae aliquid nacti sunt, sed ut temporum ratio ferebat, praestantiae qua olim excelluerant, ne umbram quidem receperunt *). Qui etsi vectigalibus liberati, donis aucti, multorum iuvenum concursu ditati sunt, tamen quum iam deleto maris imperio et abolitis commercii negotiis merus fons Atticarum divitiarum diu exsiccatus esset, et privatim et publice tanta pecuniae inopia premebantur, ut iam Antonino Pio imperante Delum insulam vendere vellent: quod ne perficerent, Lolliani tantum opera impeditum est[38]).

§. 2.

Quum iam de rebus Graecis Hadriano imperante gestis a scriptoribus multa tradita inveniamus, de Athenarum et de Achaiae fatis, qualia Antoninorum aetate fuerint perpauca tantum accepimus. Ita Pausanias narrat, Antoninum Pium maiorem Pallantium Arcadiae vicum in urbem commutasse eidemque immunitatem concessisse, propterea quod olim Evandrus, Arcadum Pallantio oriundorum manu in Italiam deducta, ad Tiberim urbem illam condiderit, quae postea Romae partem effecerit[39]). Ceterum principem in rebus Achaiae administrandis eximia liberalitate usum esse, e loco quodam Pausaniae sequitur[40]); beneficiorum autem, qui-

---

36) Boeckh. C. I. vol. I. p. 390. nr. 281. cf. nr. 270.; Corsini F. A. III. p. 403.

37) Boeckh. l. c. I. nr. 321—346; p. 411 sqq.

*) Ipse Hadrianus, quanquam Athenarum dignitatis studiosissimus erat, tamen bestiarum certaminibus stadium polluerat. Spartian. vit. Hadrian. c. 19.

38) Philostr. V. S. II. 1, 4. I. 23. p. 527; cf. Aristid. Panath. p. 529 c.; Pausan. VIII. 33, 2.

39) Pausan. VIII. 43, 1—2.

40) Pausan. I. I. 3.

bus Hadriani exemplo Athenienses reliquosque Graecos auxisse putandus est, nominatim nihil commemoratur, si excipias inscriptionem, in qua marmoreum aquaeductum, quem Hadrianus in usum Hadrianopolis sive Novarum Athenarum incheaverat, *a.* **140** *p. Chr.* ab Antonino perfectum esse narratur[41]).

Deinde Marco Aurelio Philosopho imperante, eo fortasse tempore quum bellum cum Germaniae et Sarmatiae populis gereret (166—175 *p. Chr.*), Costoboci, Sarmaticorum latronum gens, sedibus suis ad Istrum fluvium relictis[42]) et irruptione in septentrionalem Graeciae partem facta Elateam Phocidis urbem adorti sunt. Quos ad depellendos Mnesibulus quidam, qui iam *a.* 164 *p. Chr.* Olympiae victor palmam tulerat, voluntariam cohortem coëgit et proelio commisso magnam barbarorum stragem edidit: ipse tamen fortiter pugnans cecidit[43]).

Imperatorem vero, qua erat in Graecos, maxime philosophos, summa benevolentia, Athenas potissimum haud mediocriter amasse et auxisse certis testimoniis affirmatur. Qui templum Eleusinium, quod incendio deletum erat, splendidissime exstruxit[44]) atque ipse mysteriis initiatus est *a.* 177 *p. Chr.*[45]): tum eo maxime Athenarum commodo prospexit, quod Atheniensem universitatem litterarum, ut ita dicam, ad certas leges composuit ordinavitque[46]) ac simul primus cuiuscunque litterarum generis professoribus, et philosophis et sophistis, praeter alia dona salaria firma constituit. Utrum vero Marcus anno demum 177 *p. Chr.*, seditione quam Avidius Cassius Syriae proconsul moverat sedata Athenis diutius versatus, quod e Dionis Cassii et Iulii Capitolini libris

41) Boeckh. C. I. vol. I. p. 416. nr. 347.; Salmas. ad Spart. Hadr. p. 53 b.; Scaliger. ad Euseb. Chron. p. 197 b. et Leake Topogr. p. 127. 138. 210.

42) Cf. Mannert. Geogr. IV. 183. 269. 352.

43) Pausan. X. 34, 2. cf. VIII. 43, 4.; Iul. Capitolin. vit. Antonin. Philos. c. 22.

44) Schol. in Aristid. Panathen. I. p. 319. ed. Frommel. p. 99.

45) Dion. Cass. 71, 31.; Iul. Capitolin. l. l. c. 27.; Philostr. V. S. II. 1, 12. p. 562.

46) Qua conditione illa aetate artes litteraeque Athenis floruerint, inprimis quae ratio et instituta fuerint academiae Atheniensis, praeter alios libros vid. Ellissen. p. 88—111.; Ahrens. II. p. 65—81.

suspecto data valde diffideret: neque Herodi ad opprimendos adversarios itidem Sirmium profecto contigit ut crimina illa a se defenderet.

Sed tamen imperator in re diiudicanda tanta clementia usus est, ut libertinis quidem reis levem multam imponeret, ipsum vero Herodem, quanquam maledici rumorem sparserunt, Oricum Epiri in urbem, quam restituendam et muniendam nonnullis annis ante curaverat, illum relegatum esse, decedere tantum Athenis iuberet. Ex quo Herodes modo Marathone degit modo in villa sua amoenissima Cephisiae sita[56b]), quo creberrimi adolescentes et Athenis et aliunde convenerunt, ut a viro doctissimo rhetoricam discerent. Neque imperator eum multis beneficiis ornare desiit, donec septuaginta sex annos natus *a.* 177 *p. Chr.* Marathone mortuus et ab Atheniensibus, testamento defuncti hac in re mutato, in stadio Panathenaico, quod ipse perfecerat, honestissimo et amplissimo funere sepultus est.

Quibuscunque vero beneficiis Herodes Athenas auxit, et congiariis distribuendis et clarissimis aedificiis exstruendis, ea fere omnia non tam usum publicum quam splendorem urbis et gloriam conditoris spectabant. Neque Athenis tantum exornandis sophista acquievit: immo non solum Corinthi theatrum, Thermopylis balneas, aliaque eiusmodi aedificia in Euboea, Boeotia, Peloponneso exaedificavit, sed etiam Delphorum stadium Pythium marmore Pentelico ornavit et compluria sacra splendidis donariis honoravit[57]). Praeterea in fundo suo prope Romam urbem in Via Appia sito, quem Regilla dotem acceperat, Triopium i. e. hortum templis ornatum instar loci illius sacri in Triopio promontorio ad Cnidum urbem siti a. 165 *p. Chr.* condidit atque adeo Canusium in Apulia et Olympiam in Elide aquaeductibus aquarum penuria liberavit[58]). Isthmum vero Corinthium, quo opere perficiendo immortalitatem assecuturum se esse speravit, non perfodit, sive quod difficultates maiores erant quam quae vincerentur, sive veritus, ut ipse Ctesidemo Atheniensi confessus est, ne gloriae

---

56b) Gell. N. A. I. 2. cf. omnino de Herode IX. 2. XIX. 12.

57) Cf. Pausan. II. 1, 7. VI. 21, 2. X. 32, 1.

58) Lucian. de morte Peregrin. c. 19.

ricam Marcum Aurelium et Lucium Verum adoptivos principis filios docuit, qui eam ob causam postea eximia caritate illum dilexerunt, sed etiam quum civitate Romana praeditus esset, *a.* 143 *p. Chr.* sub nomine Ti. Claudii Attici Herodis cum C. Bellicio Torquato consul factus est[53]. Tum quoque factum esse videtur, ut Regillam virginem Romanam ex antiquissima Anniorum gente patricia, cui etiam Caesares Herodis disciputi adscripti erant[54], oriundam in matrimonium duxerit. Quae quum *a.* 164 *p. Chr.* mortua esset, in eius memoriam Odeum illud magnificentissimum exstruxit, quod Pausania teste et magnitudine et ornamentorum copia quorumvis operum Graecorum splendorem superavit[55]. Postquam vero a civibus vel summa adulatione cultus, multos per annos divitiis, arte, imperatorum amicitia, in Atheniensium civitate plurimum valuit, tandem quum iam e morte Panathenaidis et Elpinicae filiarum et ex Attici filii stupiditate moribusque pravis maximum dolorem accepisset, ab iis qui in administranda republica eius adversarii fuerunt, iam senex vehementer vexatus est.

Quum enim Atheniensibus antiquae insolentiae et animi levitatis tantum remansisset, ut non amplius Herodis arbitrio regi vellent, etsi eiusdem donis urbs splendidissime ornaretur et ipsi ditarentur, tandem cives nonnulli, inprimis Demostratus, Praxagoras, Mamertinus, iam antea una cum Quintilio Maximo et Condiano, notis illis fratribus sophistae inimicissimis, qui tum Achaiae proconsulum muneribus simul fungebantur[56a], Herodi adversati, ad Marcum Aurelium imperatorem Sirmii Pannoniae in urbe versantem (*a.* 171 *p. Chr.*) querelam deferebant de iniuriis, quibus Herodes eiusque libertini superbi Athenienses vexavissent. Hi legati precibus Faustinae Augustae et filiolae vehementer adiuti a Marco Aurelio benigne excepti et auditi sunt, qui iam et ipse Herodi ob consilia L. Vero Augusto tum de studio rerum novarum

53) Cf. Dion. Cass. 71, 35.; Iul. Capitolin. Antonin. Phil. c. 2. Ver. c. 2.; Boeckh. C. I. vol. I. p. 568. nr. 1077.

54) Cf. Philostr. p. 555.; Dion. Cass. 69, 21.; Capit. Anton. c. 1.

55) Cf. Paus. VIII. 20, 3.; Leake l. c. p. 247. Müllers Zus. p. 456.

56a) Dion. Cass. 71, 33. 72, 5.; Philostr. V. S. II. 1. p. 559 sqq. 9. p. 582.

modo, ut nostra quoque aetate in Sicilia et Hibernia insulis fit, — in urbibus confluxerunt, quae et ipsae ad summam inopiam redactae pauperumque multitudine oppressae erant [62]). Nec fuit quo Graecorum civitates denuo efflorescere potuissent, quoniam cives, ne sordidis artibus operam darent, antiquissimo huius rei odio, ne commercio et re navali quaestum facerent, ipsa terrae inopia prohibiti sunt.

Quo factum est ut hac aetate omnis fere et pecuniae et agrorum copia in potestatem paucorum virorum locupletiorum veniret, quorum opera multitudo inopem vitam sustentabat. Urbium illae tantum quodammodo florebant, quas iam supra saepius commemoravimus: reliquae Achaiae et urbes et regiones quam triste spectaculum praebuerint, clare apparet ex libris Dionis Chrysostomi et Pausaniae. Cuius tempore Graecorum vicorum et oppidorum, quorum ingentem multitudinem iam Strabonis aetate desertam atque adeo deletam *fuisse* supra vidimus, perpauca modo supererant. Denique si pestem respicis, quae inde ab Hadriani aetate usque ad primam Gothorum in Graeciam irruptionem Gallieno imperante factam (*a.* 258 *p. Chr.*) et Graeciam et totum imperium Romanum depopulata et sub Marco Aurelio Achaiam potissimum eximia vi adorta est[63]), non mireris quod Plutarchus affirmat, suo tempore universam Graeciam vix tria millia gravis armaturae praebere potuisse, quantas copias olim bello Medico exigua Megarensium civitas sola ad proelium Plataeense misisset[64]).

Ita Graeci maiorum vi et dignitate diu exuti non nisi antiqua gloria conditionis suae vanitatem obtexerunt: genus debile et imbecillum, aut ad mores feros redactum aut mollitiei et voluptatibus deditissimum, a calamitatibus, quae sequentibus saeculis Graeciam manebant, sese defendere non potuit. Neque enim imperatorum benevolentia neque aedificiorum splendore nec maiorum gloria impeditum est, ne barbari crudelissimi Graeciam saevissime devastarent et ipsum populum inauditis sceleribus ad nomen fere delerent.

62) Dion. Chrysost. XXXIII. p. 401.

63) Trebell. Pollio in Gallien. duob. c. 5.

64) Plut. de defect. oracul. c. VIII Moral. Vol. I. pag. 413 f. sqq; cf. Lucian. dial. mort. XXVII, 2.; iam a Tacito Hist. II. 81. 83. Achaia inermis vocatur.

FASTI ACHAICI.

I.

A. u. c.	A. a. Chr.	Rerum gestarum ordo.	Archontes eponymi Atheniensium.
608	146	Corinthus a Mummio capta et deleta est. Decem legati ad ordinandam Graecorum conditionem in Achaiam missi. Foedera Achaeorum aliarumque gentium sublata; universis Graecis tributum impositum.	Antitheus
609	145	Post Mummii legatorumque decessum Polybius iussu legatorum Achaiae civitates circumiens res earum componit ordinatque.	
?	?	Multae nonnullis civitatibus a Mummio irrogatae remittuntur: concedit senatus Romanus, ut Graecarum gentium concilia instaurentur.	
621	133	Servorum in Attica seditio ab Heraclito praetore Atheniensi componitur.	
623	131		Heraclitus
628	126		Agathocles
629	125		Iason
666	88	Aristio Atheniensibus, ut a Romanis ad Mithridatem regem desciscant, persuadet; praetor factus summa crudelitate civibus imperat. Metrophanes Delum insulam saevissime depopulatur. Archelaus cum magno Mithridatis exercitu Athenas profectus Lacedaemonios, Achaeos Boeotosque ad regis causam perducit; a Bruttio Sura Romanorum duce, qui iam Metrophanem ad oram Thessaliae navali proelio fugaverat, cum triduo ad Chaeroneam dubio Marte pugnatum esset, coactus est, ut Athenas sese reciperet.	

A. u. c.	A. a. Chr.	Rerum gestarum ordo.	Archontes.
667	87	Sulla plurimis Graeciae oppidis recuperatis Piraeeum, quem Archelaus et Athenas, quas Aristio tenet, summa vi oppugnat; ad pecuniam sibi comparandam et Graecas urbes et deorum templa impudentissime spoliat; Eleusine hiemat.	Aristio
668	86	Calendis Martiis Athenae captae sunt; ingens civium strages edita est. Deinde Sulla Piraeeum tandem expugnatum incendio delet. Archelaus ad Chaeroneam proelio devictus; Thebae a Sulla ob defectionem summa severitate multatae ad infimam miseriam detrusae sunt.	
669	85	Archelai et Dorylai copiae ad Orchomenum urbem ad internecionem delentur; Sulla Larymnam, Anthedonem, Alaeam et alia Boeotiae oppida depopulatur.	
670	84	Sulla ex Asia redux Aedepsi et Athenis diu versatus, magnum et pecuniae et librorum thesaurum e Graecia aufert. — T. Pomponius Atticus Atheniensium inopiam publicam summa liberalitate sublevat. Elateae urbi libertas et immunitas conceditur. Peloponnesiorum copiae auxiliares Sullam contra Marii partes adiuvant.	
674	80	Verres et Dolabella magnum auri pondus e Parthenone auferunt aliasque Graeciae regiones expilant.	
675	79	M. Tullius Cicero sex menses Athenis versatus est.	
687	67	Plotius Varus, Terentius Varro, L. Cornelius Sisenna, L. Lollius, Cn. Pompeii legati Graeciam et finitumas regiones ac maria a piratis tuentur. Cn. Pompeius Magnus ab Atheniensibus ridicula exceptus est adulatione. Piratarum colonia Dymen deducitur.	
691—692	63—62	Pompeius e bello Mithridatico redux Athenis versatus, civitati quinquaginta talenta donat ad urbem, Sullae tempore vehementer turbatam, restituendam et exornandam.	
694 695	60 59	Ariobarzanes Philopator eiusque filius Philoromaeus, Cappadociae reges, odeum Periclis ab Aristione incendio deletum restituunt.	Herodes

A. u. c.	A. a. Chr.	Rerum gestarum ordo.	Archontes.
698 699	56 55	L. Calpurnius Piso Macedoniae proconsul et liberas Athenas et totam Graeciam pecunia exigenda alioque modo misere lacerat.	Polycharmus Magnus Gaius (?)
705	49	In bello inter Caesarem et Pompeium gesto plurimi Graecorum a Pompeii partibus stant; Athenae, Cyclades, Corcyra, Achaia ei naves praebent; Achaiae et Thessaliae magna vis pecuniae et frumenti imperatur.	
706	48	Cassius Longinus, Q. Calvisius Sabinus, Q. Fufius Calenus, legati a Caesare ad occupandam Achaiam missi Delphos, Thebas, Orchomenum aliasque urbes recipiunt. Calenus a Rutilio Lupo Pompeii legato impeditus, quominus Isthmum transiret, Megara et Athenas oppugnat, sed tantum Piraeeum expugnat, Atticam saevissime depopulatus.	
		Pompeius a C. Iulio Caesare ad Pharsalum plane devictus: ille a Lacedaemoniis, Achaeis, Boeotis, Atheniensibus et Thessalis sub Hegesareto adiutus erat, hunc Acarnanes, Aetoli, Locri, Dolopes et Thessali Preteo duce secuti sunt.	
		Caesar Athenas recipit, liberaliter urbem habet. Thessali immunitate donati. Megara, tandem a Caleno expugnata, fere diruta; Patrae facili opera captae sunt.	
		Servio Sulpicio consulari Graecorum cura a Caesare committitur.	
710	44	Caesar in agrum Corinthium coloniam Romanam deducit: Corinthus restituta ludorum Isthmiorum praesidium recuperat.	
		Brutus et Cassius mense Septembri in Graeciam profecti Athenis summis honoribus excipiuntur. Brutus Athenis hiemat: non solum Romanos iuvenes, qui hac in urbe litteris incubuerunt,	
711	43	sed etiam totam fere Graeciam, Thessaliam, Macedoniam ad suam causam perducit. Senatus Romanus Bruto Graeciae et Macedoniae imperium decreto confirmat.	
712	42	Octavianus et Antonius unam legionem frumentandi causa in Achaiam mittunt.	

A. u. c.	A. a. Chr.	Rerum gestarum ordo.	Archontes.
		Duo millia Lacedaemoniorum Octaviano auxilio veniunt; in pugna Philippensi a Bruto ad unum omnes trucidantur.	
		M. Antonius, Atheniensibus amicissimus, eorum civitati pro Teno insula Rhodiis concessa Aeginam, Icum, Ceum, Sciathum, Peparethum insulas donat.	
		L. Marcius Censorinus ab Antonio Graecis praefectus [1]).	
715	39	Pacto Miseni facto Peloponnesus Sexto Pompeio concessa. Antonius cum Octavia uxore Athenis ut civis Atticus hiemat, et ipse turpissimae luxuriae deditus et ab Atheniensibus insana adulatione cultus.	
716	38	Antonius Peloponnesi urbes pecunia exigenda expilat atque adeo hanc terram Pompeio tradere denegat.	
722	32	Antonius quum contra Octavianum bellum pararet, cum Cleopatra Athenis versatus est. Patris hiemem exegit.	
723	31	Agrippa Octaviani legatus Mothonen Messeniae urbem, Leucadem insulam, Patras atque adeo Corinthum expugnat.	
		Theophilus ab Octaviano *Achaiae propraetor* vel *procurator* Corinthum mittitur.	
		IV Nonas Septembres Antonius ad Actium promontorium navali proelio superatur. Omnium Graecorum Lacedaemonii tantum Eurycle duce et Mantinenses ab Octaviani partibus steterunt.	
		Octavianus Athenas profectus res Graecorum ordinat, oppidorum belli calamitatibus oppressorum inopiam frumentationibus sublevat.	
724—727	30—27	Patras colonia Romana militum et libertinorum deducitur; quae magno agro et vicinarum civitatum vectigalibus locupletata, omnino variis beneficiis ab Augusto adiuta est.	
		In memoriam victoriae Actiacae e regione Actii promontorii Nicopolis urbs conditur, quo Ambraciotae, Anactorii, Acarnanes Aetolique migrare coguntur.	
		Nicopolitani iussu Augusti Amphictyonum in numero recepti sunt.	

1) Plut. Anton. c. 24. „ἐπεὶ δὲ Λεύκιον Κηνσωρῖνον ἐπὶ τῆς Ἑλλάδος καταλιπὼν εἰς τὴν Ἀσίαν διέβη."

II.

A. u. c.	A. a. Chr.	Rerum gestarum ordo.	Provinciae rectores.	Archontes.
727—767	27—14 p. Chr.	C. Iulii Caesaris Octaviani (Augusti) principatus.		
727	27		Achaia, proconsularis provincia, senatus curae subdita.	Nicias
728	26			Arëus
733	21	Aegina et Eretria Atheniensibus adimuntur. Tegeatae propter nimium Antonii studium multati, contra Mantinenses ab Augusto summis honoribus ornati sunt. Spartani Cythera insula et nonnullis Messeniae oppidis donantur. Augustus Eleutherolaconum viginti quattuor urbes a Spartanorum regione seiungit.		
?	?			Claudius Attalus.
?	?	Eurycles tyrannus Spartanos diu vexat; tandem exilio multatur. — Asiae reges, Romanorum socii, Olympieum Atheniense a Pisistrato inchoatum in honorem Augusti communi sumptu perficere student.		Nausias
				Lyciscus
?	?			Dionysius
738	16		Publius Cornelius Scipio, quaestor et propraetor [1].	Theon
				Agasias
	A. p. Chr.			
762	9			Rhoemetalces
766	13	Atheniensium, quac fuisse dicitur, seditio.		
767—790	14—37	Tiberius Claudius Nero.		

1) Boeckh. C. I. vol. I. p. 431. nr. 364.

A. u. c.	A. p. Chr.	Rerum gestarum ordo.	Provinciae rectores.	Archontes.
767—768	14—15		*Achaia* et Macedonia, proconsulari imperio levatae, Germanico Caesari traduntur.	
768	15		*Achaia* et Macedonia Poppaeo Sabino Moesiae praetori subditae. Nihilominus	Xenon
770—771	17—18	Germanicus Graeciam peragrat.		
775	22	Tiberius asyla statuendi ius arctioribus finibus circumscribit.		
776	23	Aegiensi civitati tributum in triennium remittitur.		Mithridates
778	25	Quae lis de Dianae Limnatidis templo inter Messenios et Lacedaemonios exorta erat, a Tiberio diiudicatur.	Atidius Geminus, praetor Achaiae [2].	
788	35		Poppaeo mortuo *Achaia* et Macedonia Regulo traduntur [3].	
790—794	37—41	C. Caesar Caligula.		
794—807	41—54	Tib. Claudius.		
794	41			Metrodorus
795	42			Themistocles Besaeus [4])
797	44		Claudius imperator *Achaiam* reddit *senatui*, a proconsulibus administrandam.	
798	45			Antipater [5])

2) Tacit. Annal. IV. 43. 3) Dion. Cass. 58, 25.

4) Corsini Fast. Att. II. p. 197. 160 sqq. IV. p. 151 sqq.; cf. Boeckh. C. I. vol. I. p. 368. nr. 266. p. 498. nr. 614. cf. p. 411. nr. 320.

5) Phlegon. Mirabil. 6. 22; cf. Boeckh. C. I. vol. I. nr. 282. p. 391.

A. u. c.	A. p. Chr.	Rerum gestarum ordo.	Provinciae rectores.	Archontes.
802	49	Apollonius Tyaneius in Graeciam venit.		Dinophilus[5])
805	52	Paulus apostolus, Athenas profectus, diu Corinthi		
806	53	versatus est.	Iunius Gallio, proconsul.	Dionysodorus
807—821	54—68	Nero Claudius.		
809	56			Conon
814	61		Helvidius Priscus	Thrasyllu[6])
817—818	64—65	Acratus et Secundus Carinas iussu Neronis donaria et statuas ad domum auream ornandam e Graecia auferunt.	Achaiam quaestor administrat.	
818	65			Demostratus
820	67	Nero Achaiam libertate donat.		
822—832	69—79	Flavius Vespasianus.		
828	75	Vespasianus Achaiae libertatem a Nerone concessam adimit.		
829	76			Atelianus
834—849	81—96	T. Flavius Domitianus.		
836—837	83—84			Ἀναρχία
846	93			Domitianus imperator
849—851	96—98	M. Cocceius Nerva.		
?	?			Didius Secundus Sphettius[7]).
851—870	98—117	M. Ulpius Nerva Traianus.		
?	?			Philopappus[8])

6) Phlegon. Mirabil. 7. 27. 20. 23.; cf. Boeckh. C. I. vol. I. p. 369. nr. 267.
7) Boeckh. C. I. vol. I. p. 372. nr. 268.
8) Boeckh. C. I. vol. I. p. 335. nr. 200.

A. u. c.	A. p. Chr.	Rerum gestarum ordo.	Provinciae rectores.	Archontes.
862	109	Mothonae urbi libertas concessa est.	Paulus Fabius Maximus in Achaiam mittitur ad ordinandum statum liberarum civitatum.	Aristarchus Phalereus [9])
865	112			Hadrianus Caesar
866	113			Macrinus [10])
867	114	Traianus Athenis versatus est.		
869	116		Cassius Maximus, proconsul.	
870	117		Valerius Severus, proconsul [11]).	
870—891	117—138	T. Aelius Hadrianus.		
871	118		Clodius Granianus, proconsul [12]).	
875	122	Hadrianus Athenis versatus saluberrimas leges civitati dat; catarractis cursum Cephissi fluvii temperat, qui Eleusinem inundaverat.	Calpurnius Rufus, proconsul [13]).	Nicaretus Paranomus
877	124			Dionysius [14])
878	125	Hadrianus mysteriis Eleusiniis initiatus est; cui a Quadrato Athenarum episcopo et Aristide philosopho Christianae doctrinae apologia traditur.		G. Iulius Casius Stiriensis Lucius Vibullus Hipparchus M. Munatius Maximianus Vopiscus

9) Lucian. iudic. vocal. c. 1; cf. Corsini F. A. II. p. 104 sqq.
10) Phlegon. Mirabil. 9. Corsini IV. p. 165.
11) Boeckh. C. I. vol. I. p. 851. nr. 1732.
12) Boeckh. C. I. vol. I. p. 851. nr. 1732.
13) Vid. Merleker. Achaic. p. 464.
14) Corsini. Inscr. Att. p. 37. F. A. IV. p. 166 sqq. Boeckh. C. I. vol. I. p. 169 sqq. nr. 124.

A. u. c.	A. p. Chr.	Rerum gestarum ordo.	Provinciae rectores.	Archontes.
882	129	Hadrianus et Athenas et alias Graeciae urbes permultas clarissimis aedificiis splendidissime exornat; Hadrianopolis condita; Cephalenia insula Atheniensibus tradita; imperator sacris Eleusiniis celebrandis iterum interest. Mantinenses iussu Hadriani, Antigoneae nomine abiecto, priscum urbis suae nomen restituunt.		Demostratus Marathonius Cl. Heraclides Melitensis [15])
888	135	Olympieum Hadriani opera perfectum est.		Hadrianus imperator
890	137	Herodes Atticus Panhelleniorum praesidii munere fungitur; stadium Panathenaicum exornat.		Herodes Atticus
891—914	138—161	T. Ael. Hadrianus Antoninus Pius.		M. Ulpius Eubiotus [16])
893	140	Antoninus Athenis aquaeductum quendam ab Hadriano inchoatum perficit.		
?	?			Aurelius Dionysius [17])
		Pallantio Arcadiae urbi immunitas donatur.		
914—933	161—180	M. Aurelius Antoninus Philosophus.		
914—925	161—172	Lucius Verus.		Tib. Claudius Sospis
917	164	Herodes Atticus odeum Regillae exstruit.		Tineios Ponticus Besaeus
918—928	165—175	Costoboci in Graeciam irrumpunt; Elateam aggressi a Mnesibulo devicti sunt.		Theopompus Paeaniensis

15) Corsini F. A. II. 170 sqq. 177. 187. 140. 106. 209 et 196. IV. 169 sqq. Boeckh. C. I. vol. I. nr. 270. p. 373 sqq.; nr. 269. p. 372; nr. 185. p. 316.; nr. 184 et 186. p. 315 sqq.; nr. 273. p. 379.

16) Boeckh. C. I. vol. I. p. 438. nr. 378.

17) Boeckh. nr. 189. p. 318 sqq.

A. u. c.	A. p. Chr.	Rerum gestarum ordo.	Provinciae rectores.	Archontes.
924	171	Herodes Atticus iussu imperatoris Athenis remotus est.	Quintilius Maximus; Quintilius Condianus; fratres, proconsulari munere funguntur [18]).	Valerius Mamertinus Marathonius Hicesius Sphettius
930	177	Marcus Aurelius mysteriis Eleusiniis initiatus est; universitatem litterarum Atheniensem ad certas leges constituit.		Philotimus Eleusinius
		Herodes Atticus Marathone mortuus est.		C. Iulius Casianus Apollonius [19])

18) Dion. Cass. 71, 33. 72, 5. Philostrat. Vit. Sophist. II. 1. p. 559 sqq. 9. p. 582.

19) Boeckh. C. I. vol. I. nr. 423. 192. 190. 276. 272. Corsini F. A. II. p. 169 et IV. p. 176.; IV. p. 180. (cf. Inscr. Att. p. XXII et XXXIII.) et II. p. 204.; IV. p. 181. (Inscr. p. XXXV.) II. p. 182.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 3. lin. 25. pro „Wolff" l. „Wolf".
pag. 9. lin. 35. pro „die Erkl. zu Cic." l. „Interprett. ad Cic."
pag. 14. not. 15. adde: K. F. Hermann Gesammelte Abhandlungen und Beiträge zur klassischen Litteratur und Alterthumskunde. 1849. (XVI. die Eroberung v. Korinth u. ihre Folgen f. Griechenland.)
ibid. not. 16. add.: sive T. II. p. 63 – 72.
p. 15. lin. 4. add.: Dion. Cass. 59, 12. Tacit. Annal. XIII. 7.
p. 18. not. 24 b) add.: T. III. p. 82 sqq.
ibid. lin. 30. add.: Drumann Gesch. Roms Bd. I. p. 26.
ibid. lin. 36. add.: Appian. B. Civ. I. 73.
pag. 19. not. 26. add.: Drumann III. p. 63.
p. 20. lin. 32. ad verba „Appium Claudium sqq." vid. Oros. VI. 15. „Appius Claudius, qui iussu Pompeii Graeciam tuebatur." cf. Valer. Maxim. I. 8. 10.
pag. 39. lin. 10. inter verba „quam" et „urbem" interpon. „ille".
pag. 40. lin. 23. pro „viam" l. „vitam".
pag. 43. lin. 39. 40. pro „de longis muris" l. „longi muri".
pag. 56. not. 15. adde: Strabon. p. 665.; cf. Plin. h. n. IV. 6, 13.

Halis Typis Schwetschkeanis-Gebaueriis.



